COMMENTATIONIS PHILOLOGICAE

DE

MARTIANO CAPELLA EMENDANDO

ALTERA PARS.

CONSCRIPSIT ET AD PENSORVM INDICEM QVEM MAGISTRI GYMNASII SANGALLENSIS, QVOD APPELLAMVS VERNACVLA LINGVA ‚KANTONSSCHVLE' IN ANNVM MDCCCLXXXIX MDCCCXC IN VVLGUS EMITTUNT

ADDIDIT

ADOLPHVS DICK, PROF.
DR. PHIL.

IN VRBE ST. GALLI
TYPIS EXPRESSIT M. KAELIN.

COMMENTATIONIS PHILOLOGICAE

DE

MARTIANO CAPELLA EMENDANDO

ALTERA PARS.

CONSCRIPSIT ET AD PENSORVM INDICEM

QVEM MAGISTRI GYMNASII SANGALLENSIS, QVOD APPELLAMVS VERNACVLA LINGVA ‚KANTONSSCHVLE'

IN ANNVM MDCCCLXXXIX/MDCCCXC IN VVLGUS EMITTUNT

ADDIDIT

ADOLPHVS DICK, PROF.

DR. PHIL.

IN VRBE ST. GALLI

TYPIS EXPRESSIT M. KAELIN.

Priorem huius ‚de Martiano Capella emendando' commentationis partem his terminavi verbis: ‚Reliquam coniecturarum a me factarum partem, quam materiam extensam magis quam benivolam huic libello integram adiicere longum est, in promptuario retineo, ut postmodum occasione data tali loco eam foras dem, quali latius quam hac dissertatione fieri potest, pervulgabitur'. Hac occasione tandem oblata mihi amplius quin alteram etiam partem foras dem dubitandum non est. Eis quidem, qui illam priorem partem non cognoverunt vel adire nequeunt, haec habeo praemittenda.*)

Primum igitur, codicem Bernensem (β) 56. b. quem ego in lucem protraxi primusque excussi ex omnibus libris manuscriptis, qui Martiani Capellae novem ‚de nuptiis Philologiae et Mercurii' libros continent optimum et praestantissimum esse, permultis gravissimisque exemplis comprobavi. Simul etiam de ratione inter hunc et reliquos ab Eyssenhardtio (Martiani Capellae novissimo editore) adhibitos codices intercedente breviter exposui. Deinde vero quia tam mendose traditus auctor tantaque obscurarum rerum locorumque omnibus modis implicitorum multitudine confertus solis e libris manuscriptis quamvis egregiis neutiquam emendate omnique sordium genere liberatus edi posset, multis verborum contextus depravationibus coniiciendi ratione medelam afferendam suscepi. Et re vera ego Martianum Capellam Africanorum auctorum neglegentissimum appellare vix dubitaverim. Apud hunc enim nulla est proprietatis verborum observantia, in translationum usu et in novis verbis fingendis iusto maior eius est audacia, molestissima graecae consuetudinis imitatio; poëticae ac pedestris orationis inconsulta confusio, omnino nihil sanum naturaeque conveniens, sed nimium quaesita et tumida omnia. Neque ut apud alios qui cum nostro comparari possunt auctores subtile quoddam et acutissime expolitum dicendi genus (quale apud Apuleium conspicuum est, cuius miram orationis facilitatem, argutos logos, verba subtiliter contrarie relata quodam modo admiramur) nobis alia ex parte laetitiam offert, sed apud Martianum similem diligentiam prorsus desideramus; immo omissa est apud eum sermonem numerose vinciendi ars et nullo vinculo apte sociatis sententiis tota oratio varia, dissoluta, deformis videtur. Ea vero condicione generis dicendi a Martiano adhibiti cognita nemo etiam mirabitur libros eius et manuscriptos et typis expressos mendarum haud exiguo numero depravatos esse. Itaque viris doctis delectam coniecturarum emendationumque mearum partem proposui examinandam, sed tum quattuor tantum priores libros pertractavi. Quare iam hanc emendandi rationem etiam ad sanandas reliquorum quinque librorum depravationes adhibeamus; nam is est finis, quem potissimum haec commentatio sequitur. Vix deinde est cur repetam me eadem semper circumspectione et summa ubique cautione usum codicum auctoritatem haud facile despexisse; qui plura ea de re scire velit, conferat dissertationem meam pag. 43. Eodem denique loco pag. VI. v. 4 sqq. haec scripsi verba: ‚ego hanc dissertationem eo scripturus sum consilio, ut demonstrem, quantopere nova editione emittenda opus sit, cum neque verba Martiani satis considerate in ordinem redacta neque rei metricae quae debuerit cura attributa, neque denique apparatus criticus satis ad usum

*) Ceterum ei, quem harum rerum studium delectat, cupide et libenter exemplar condonabo.

[illegible] videtur; sed quia novis et fructuosis subs[illegible]tus erat, huic rei non adeo vim tribuit; sed iam optandum est, ut ea res ad effectum tandem adducatur; qua de causa in fine commentationis specimen novae editionis parandae exhibebo.

Sed antequam ad rem ipsam accedam mihi breviter de subsidiis hic in oppido St. Galli comparatis referendum est. Asservantur enim in bibliotheca antiqui monasterii St. Galli duo libri manuscripti, quorum alter continet duos priores Martiani Capellae libros, alter (codex 381. saeculi XI membranaceus) inter alia scripta pusillum fragmentum, (pag. 63. 16 usque ad 64. 5. ed. Eyssh.) quo sane omnino possumus carere. Sed etiam alterius codicis fructus ad verborum contextum conformandum vel emendandum plane nullus est, quia foedissime est interpolatus. Et ne cui de codicis qualitate iniustius iudicavisse videar infra lectionum varietatem partis alicuius temere ac fortuito electae subiungam. Neque tamen codicem hoc pretiosiorem facile iuvenias. Quamvis enim rescriptus est contextus posterior casu certe maxime notabili priorem scripturam (haud ita vetustiorem) pretio multo exsuperat. Codex ipse numero 872 insignitus, membranaceus, saeculo XI exaratus cum duobus in Evangelia commentariis saec. XIII conscriptis colligatus est. Scriptura principali saeculi X ut ex titulorum vestigiis satis apparet regulae quaedam grammatices exaratae fuerunt. Posteriore vero scriptura exarata est (cum contextu vili latino) celebris illa versio Germanica interlinearis a Notkero Labeone composita. Sed iam huiusce partis pag. 17. 5—18. 19 lectionum varietatem ut promisi adscribam: 17. 5 post ‚*perfecit*‘ addit ‚*qui caelicolum primi vocati sint*‘. 17. 12. *Mercurius iupiter nereus uulcanus etc.* 17. 14. *post quos complures.* 17. 25. sqq. *quirinus mars id est pacificus mars militaris iuno etiam ibi domicilium habebat. Fors etiam Der Zwîfel gót. Limphe. Nic chessa. Diique iovensiles id est tonsores iouis.* 18. 3. *linsa silvestris id est bestiarum dea. m. lciber* 18. 10. *Fraudem vero post longam deliberationem etc.* 18. 15. ‚*hospito*‘ pro *Sospitae,* 18. 19. *uenirae* (pro advenire). Sed haec sufficiant.

Cum de codicis Bernensis (β) praestantia saepius iam verba fecerim, etiam in hac commentationis parte aliquot locos pertractabo e quibus eius libri manuscripti excellentia spectari poterit, nam hoc proposito meo conducens puto et utile. In insequentibus igitur verbis littera β codicem Bernensem, B cod. Bambergensem saec. X., R. cod. Reichenauensem saec. XI., D codicem Darmstattensem saec. XI designat; litera b secunda Bambergensis libri ms. manus indicatur. Toti vero subsequenti disceptationi editio Martiani a Francisco Eyssenhardtio (Eyssh.) Lipsiae anno MDCCCLXVI curata supposita est.

pag. 12. 4. ‚*augurales-alites ante currum Delio constiterunt*‘. β habet ‚*auguriales*‘ et certe rarior huius vocabuli forma recipienda est. Apuleius quoque Martiani popularis eadem utitur. Cf. de nota aspir. § 8. ed. Osann.

pag. 50. 31. ‚*quidam candores lactei fluminis tractu stellis efflammantibus defluebant.*‘ Recte β solus exhibet ‚*tractim*‘ pro reliquorum codicum ‚*tractu*‘ atque ita obscurae alioquin ad intellegendum sententiae lucem affert eamque eleganter conformat.

58. 4. ‚(E litera reformatur) *in V ut a tecto tugurium.*‘ β. praebet ‚*ut a tego tugurium*‘, quod recte se habet; idem Priscianus, qui Martianum videtur novisse **) praecipit. cf. I pag. 25. 16. ed Hertz ‚in V. (sc. transit E) tego tugurium‘.

66. 24. ‚*flectetur*‘ solus β. Reliqui codices ‚*flectitur*‘. Sed β lectio recipiatur necesse est propter concinnitatem. Cf. enim eadem pagina 11—12. acuetur-flectetur. 16—17. flectetur-acuetur. 21. acuetur. Quare et 24—25 scribendum est cum β. flectetur-acuetur.

---

*) Fred. Jul. Petersenus in disputatione ‚de Martiano Capella emendando‘ egregie scripta, quae prodiit Helsingforsiae anno 1870.

**) Priscianus Martianum vel impugnare videtur, velut ad hunc locum: p. 59. 22. ‚F litera, quae est semivocalium prima‘ etc., Prisciani haec verba sunt conferenda (I. p. 11. 12. l. l.): ‚cum F loco mutae ponatur (id est P et H sive S), miror hanc inter semivocales posuisse artium scriptores etc.‘

[illegible] anterioribus ,[illegible] persona est, [illegible] *nomen etc.*' Ita enim Eyssh. coniectura, qui ,*et*' particulam post ,*est*' addidit, quia sui codices omittunt vocabulum ,*enim*', non opus est.

133. 32. ,*potest et sic proponi*' praebet optime β. nam ea lectione recepta Eyssh. coniectura, qui pro depravata codicum B R lectione ,*potest et sic proponere*' scripsit ,*potes et sic proponere*' superflua fit. Similem in modum anteriores quoque editores verborum contextum conformaverunt, exhibent enim: ,*potest et sic poni*'.

135. 10. ,*quintus* (sc. modus) *debet esse idem sed per disiunctionem, sed post eum propterea, quia in eo per confirmationem assumitur, in hoc autem per negationem*' (conferenda sunt et enunciata praecedentia). Recte a β vocabulum ,*sed*' priore loco omittitur. Nam quartus modus iam erat per disiunctionem, cf. p. 135. 5 »non enim possemus (sic recte β B R) ad disiunctionem transilire, quae iam non potest ex eodem argumento fieri. erit ergo quartus modus quasi ad aliud argumentum primus' ad quod conferas p. 134. 29. 31. Vocabulum idem ,sed' iam Koppius (edidit Martianum Francofurti ad Moenum anno 1836) recte expunxerat, quia ut dicit ,eius nec causa ulla apparebat neque origo'.

p. 151. 18. sqq. ,*non est, quod possit ponderari iudicio nisi ipsa negatio. in qualitate vero vel fine alio loco, quam status apparet, necesse est [confessa] depulsio facti habeat rationem, quam item accusator infirmet etc.*' Ea verba intellegi non possunt, nisi cum β_2 post ,*fine*' inseris ,*quia*«. Vocabulum ,confessa' mea quidem opinione Eyssh. nulla necessitate delevit, immo eo carere vix possumus. Nam hoc loco agitur de ea defendendi ratione, qua facinus commissum atque confessum quia utile vel laude dignum fuerit, excusetur. Hoc enim probat exemplum, quod subiungit Martianus v. 28: ,*ut Tullius pro Milone quod insidiatorem, et quod hostem publicae quietis occiderit*'. ,confessa depulsio facti' vero dictum est pro ,depulsio confessi facti' per enallagen, quam appellamus, quae figura Martiano maxime est usitata. Cf. p. 8. 7. ,in illum cruentae similitudinis reiciebat aestum'. 14. 33. doctis fidibus personare. 15. 26. cum pro sola Atlantiadae sollertia duos vigiles repromittam. 19. 7. ,peplo inflexi pectoris' pro ,peplo inflexo pectoris'. 197. 12. ,camerae exterioris ornatum'. 203. 21. ,propinquantes animantum amburit accessus!' etc.

156. 28. ,*ductum servatum testatur prima Philippica.*' Haec stare nequeunt, quandoquidem ipse Martianus p. 155. 30 dicit: ,sunt autem ductus quinque: simplex subtilis figuratus obliquus mixtus'. Quare egregia est β lectio: ,*ductum subtilem servatum testatur prima Philippica*'. Aliquid deesse sentientes male anteriores editores scripserunt ,*hunc ductum servatum*', quamvis antea de ductu aliquo non sit sermo. Sed lectionem codicis β genuinam esse cognoscitur ex insequentibus: ,Philippica, quae mira subtilitate dominatum Antonii latenter insimulat' quibuscum cf. superiora v. 2 ,subtilis (sc. est ductus) cum aliud vult animus aliud agit oratio'.

p. 172. 5. Hoc loco Halmius (qui quintum Martiani librum ,de rhetorica' opere, quod inscribitur ,Rhetores latini minores' recepit) addit vocabulum ,*quartum*' collato loco Cic. de orat. III. 183. ,atque illi philosopho (Aristoteli) ordiri placet a superiore paeone (i. e. ab eo, qui a longa syllaba oritur) a posteriore finire'. Re vera β hanc emendationem optime confirmare videtur, habet enim: ,*modo finientibus* **quarum** *modo dochmium etc.*'

190. 5. ,*item partitio est id est διαίρεσις.*' Ad haec verba adnotat Halmius: ,*a partitione id est ἀπὸ τῆς διαιρέσεως*' p.*) ,ut est apud Fortunatianum p. 116. 17; sed videtur potius Capella errasse'. Mihi quidem non idem videtur, nam et in reliquis codicibus partim lectio editionis principis servata est et in β qui habet ,*Item a partitione id est dieresin.*' Itaque cum Martianus in hac operis parte omnino cum Fortunatiano conveniat, lectio p pro genuina habenda est.

214. 2. ,*cuius*' (Italiae) *promunturium in meridiem austrumque respectans in mare procurrit laevaque alia interioris sinus fluenta complectitur, ut si a primis Alpibus dextrum latus et prolixi*

---

*) littera p insignita est editio princeps Vicentina a Francisco Vitali Bodiano anno MCCCCXCIX curata.

[illegible] *brachium contempleris, prominentias utrimque componens theatrum quoddam spectare videaris undarum.'* Pro *,alia'* recte praebet β *,ala'*. Eandem lectionem in margine editionis adnotavit Grotius (Martianum edidit Lugduni Bat. anno 1599). Non est sermo de ,aliis interioris sinus fluentis', sed de ipso primo Europae sinu, qui infra v. 10 describitur, id est de maribus inter Hispaniam et Italiam sitis, neque negari potest, verba insequentia ,lunata quippe et quodam hemicyclio in promunturium memoratum circumfertur Italia' nostram lectionem satis tueri. Accedit quod verba ,laevaque ala' his verbis respondent versu 11 ,interior vero tellus' id est ,dextera ala'. Eodem modo infra legitur v. 16 ,dextro cornu Leucopetram petens, laevo Lacinium'.

p. 230. 10. Recte solus β *,Tubusubtus'* cum Plinio lib. V. 21 et Itin. Anton. p. 32 et 39 W.

234. 5. *,lacum Mareoticum, qui complures insulas habet traiectusque quadringentos'*, pro *,complures'* β habet *,quam plures'* quae lectio est comprobanda, nam ,quam plures' Martianus dicit pro ,quam plurimas'. Cf. p. 220. 6. ,barbarosque quam plures'. Confer omnino meam dissertationem pag. 24. ad 100. 20. Conferendus est praeterea Plinius lib. V. 63. ,Mareotis lacus .... insulas quoque pluris amplexus, xxx M. p. traiectu'.

236. 15. Optime β_2 cum Plinio lib. V. 99 et editionibus exhibet *,Ceraunius' (ceraunias* β_1 B R*)*.

275. 18. *,superdimidius est, ut si sunt sex et quattuor'*. Recte Peters l. l. pag. 63 adnotat: *,sint'* pro *,sunt'* scribi usus postulat. Optime igitur β_2 *,sint'* (β_1 *,sit'*). Rectam hanc lectionem iam anteriores exhibent editiones.

281. 18. *,in eadem sorte is quoque numerus est, qui par sub eodem iure est: duo'*. Haec autem ratio adiungendi exemplum apud Martianum plane inaudita est. Sed β exhibet *,idem duo'*, unde facile emendare licet *,id est duo'*, quae est anteriorum editionum lectio.

286. 19. *,non alienum videtur documenta his protinus subicere'*. Ad haec verba adnotat Koppius in ed. pag. 621. ,Codices Monacenses pro hac voce (documentis) alter (A) *,tamen is'*, alter (C) *,tamen his'* praebent, Darmstattensis eam prorsus omittit, sed mutandi causa vix apparet, nisi ,documenta his' legere placuerit. Ei obsecutus est Eyssh. Optime exhibet β *,documentis' (timentis* B R *his* b *tamen his* r*)*. Peters. vero pag. 65 l. l. coniecit ,de mensuris' Koppii lectionem ,documentis' meram coniecturam putans. Sed equidem Koppium sequi cautius existimo.

p. 306. 22. *,deinde* (it aequinoctialis circulus) *per edictas curvationes Hydri Crateraque etc.'* Egregie β pro *,edictas'* praebet *,editas'*. Non solum nusquam de Hydro vel eius curvationibus sermo erat, sed aequinoctialem circulum per curvationes ipsas Hydri permeare ne recte quidem se habet; immo ille circulus per summas tantum Hydri curvationes it, quare lectio ,editas' omnino est probanda. Cf. Hyginus IV. 3. p. 315. ed. J. Scheffer. Hamburgi MDCLXXIV. Secundus ab aestivo aequinoctialis est circulus, in quo haec signa et partes eorum perspici possunt: .... Hydra flexu a capite primo, ut cervicibus erectis Cancrum contingere videatur etc.'

pag. 335. 26. Optime β_1 *,adcelerare'* quod e margine Grotiano in textum receperunt Koppius et Eyssh.

337. 13. *,crinalem spicum pharetris deprome Cupido*
libens capillum solvere'.

Recte β cum b emendatore exhibet *,crinale spicum'*. Hoc enim vocabulum tres nominativi casus formas habet: spica, ae (spicus, i) spicum, i. Eadem haec lectio iam arrisit magno Scaligero, uti Grotius testatur.*)

370. 18. Recte β pro *,nominatur'* exhibet *,denominatur'*. Hanc lectionem probandam esse ut e codicis B_1 prava lectione *,dominatur'* colligitur sic Martiani dicendi generi ea est aptissima. Cf. dissert. pag. 23. ad 89. 25 sqq.

---

*) lectio *,crinalem'* nullo in codice invenitur; neque Scaliger *,crinalem spicum'* legisse videtur, ut Eyssh. adnotat, sed *,crinale spicum'*. Grotius enim coniecturam suam ,crinale spiclum' defendens sic ait: ,Est autem ,crinale spiculum' hasta coelibaris, de qua vide Festum Pompeium. Nisi tamen ,spicum' hic recte legatur, quod me monuit magnus Scaliger.' ,spicum' ni fallor nominativus casus est in his verbis, non accusativus.

Hanc e [illegible] et gravium locorum copia delectum ad codicis β praestantiam iterum probandam praemittere volui, antequam coniecturarum reliquam partem ad quinque extremos potissimum Martiani Capellae libros pertinentes literis mandarem. Hanc vero commentationis partem quantum in me situm esset perfici atque expoliri ea praesertim de causa magnopere mea interfuit, quia ab eo qui Martiano operam velit navare, ut ea in re et versatum aliquantum et cautissimum simul se praestet, merito ac iure exspectatur. Valde vero doleo me saepius bibliothecarum nostrarum opibus destitutum non iis subsidiis (et editionibus et variis ad nostram rem spectantibus aliis scriptis) uti potuisse, quibus voluissem. Ad melius absolvendum totum opus propositum etiam quattuor priores libros breviter iterum percensebo:

pag. 43. 25. *‚hic igitur Lares hic post membrorum nexum degunt animae puriores, quae plerumque si meritorum excellentia sublimantur etiam circulum solis ac flammantia saepta transiliunt‘.* Sed pro *‚sublimantur‘* codices β B R habent *‚subvehantur‘*, neque prorsus est, cur in hoc verbo offendamus. Simili temeritate Eyssh. etiam in primo libro p. 19. 12 codicum congruentem lectionem *‚magistratus in acta‘* mutavit in *‚senatus in acta‘*.

55. 32. ‚(Grammatica) *iubebat alios* (curandos) . . . . . *gradus percurrere scandereque quam plurimum operum praepositionibus aut coniunctionibus* **aut** *participatis insistere.‘* *‚aut‘* particula altero loco non est in codicibus sed additur a p. (ed. princ.). Sed, ni fallor, priore loco ‚aut‘ tollendum est et in posteriore reponendum, sic: *‚praepositionibus, coniunctionibus aut participatis‘*. Confer p. 64. 31. ‚de iunctura, de fastigio aut de longitudinibus.‘ Hoc enim loco nullo iure ab Herchero ‚aut‘ deletur. Infra ad p. 369. 11 multis exemplis probabo Martianum particula disiunctiva ‚aut‘ saepius uti pro coniunctiva ‚et‘.

61. 8. ‚(x litera) *et masculino et feminino omnibus vocalibus sociatur ut Aiax frutex calix velox Pollux et feminino ut fax lex lodix celox lux.‘* *‚celox‘* pro *‚velox‘* quod est in codicibus Koppius coniecit scite quidem, sed dubito an praestet vocabulum e verborum contextu exterminare, cum oculorum errore e versu antecedente huc irrepserit. De eiusmodi vitiis apud Martianum haud ita raris conferas Peters. l. l. pag. 68. in adnotatione. Recte Eyssh. eadem de causa in proxima pagina 62. 4 vocabulum ‚quoque‘ delevit.

pag. 97, 14. sqq. *Haec cum Grammatice velut serum exordium instauratura dixisset, propter superi senatus Jovisque fastidium Minerva talibus intervenit ‚ni fallor octo partes orationis velut incunabula repetitura intimare disponis adiciens . . . . loquendi vitia, quae apud vates inclitos plurimum celebrata, quae nunc tropos nunc metaplasmos nunc schemata [figuras] ex eodemque cuncta vitia velut decoris fonte manantia.‘* *‚serum exordium‘* Eyssh. coniecit pro *‚rerum exordium‘* quod est in codicibus, pro quorum lectione, si displicet, fortasse praestat scribere *‚iterum exordium‘*, ut ea verba conveniant cum subsequentibus ‚velut incunabula repetitura‘. Eyssh. lectio spinosior videtur, quia postquam Grammatica totum suum officium exposuit, non ‚serum exordium‘ instaurare potest. Improbat eam coniecturam etiam Juergensenus.*) Praeterea Eyssh. vocabulum *‚figuras‘* delevit. Petersenus contra l. l. pag, 49 non modo non eiiciendum, sed necessarium putat, quia sine eo sententia stare non possit; verum non esse accusativum casum nominis, sed secundam personam verbi. Assentiri non possum; non solum verbum ‚figurare‘ apud Martianum hoc sensu non est in usu, sed etiam secunda persona ab hoc loco plane aliena est. Praeterea vocabulum ‚figuras‘ ut nomen substantivum satis tuetur hic simillimus locus p. 55. 31: ‚(Grammatica) tum verborum modos tempora figurasque [schemata] requirebat‘ (ubi ‚schemata‘ nullo iure ab Eyssh. deletur, dummodo scribatur cum p. ‚figurasque et schemata‘). Tamen post ‚figuras‘ aliquid excidisse nemo non videt; suspicor exaratum fuisse tale quid: *‚figurasque dicimus‘ (figuram* D*).* Inter figuras enim et schemata aliqua differentia est. Cf. Cic. Brut. 17. ‚ornari orationem Graeci putant si verborum immutationibus utantur, quos appellant τρόπους et sententiarum orationisque formis,

---

*) doctissima disputatione ‚de tertio Martiani Capellae libro‘ conscripta. Comm. philol. Sem. Lips. a. 1874. pag. 93.

[illegible] vocant [illegible] sic [illegible], cf. p. 177. 3 ,[illegible] autem figura elocutionis a figura sententiae hoc etc.' Conferri potest etiam Quintil. IX. I 2 et 3.

p. 122. 27. ,(imperativus modus) *negari non potest. non enim hoc negat qui dixerit noli currere. hoc enim non est adversum ei quod dictum est curre, ut hoc sit verum illud falsum. [ut possit nasci quaestio].* Verba *,ut possit nasci quaestio'* Eyssh. exterminavit, nimirum quia eí cum antecedentibus non satis cohaerere videbantur. Ea vero delere non licere manifeste patet ex insequentibus: ,nam de aientia et negatione quaestio sine dubio nascitur ut ille currit et ille non currit: quaestio est utrum currat.' Inde enim colligitur iam supra de quaestione aliquo modo sermonem fuisse. Sed totus locus lenissima mutatione emendari potest si sic scribitur: *,hoc enim non est adversum ei, quod dictum est curre, utrum hoc sit verum illum falsum, ut possit nasci quaestio'*. In his enim correcta interpunctione nil aliud mutavimus, nisi quod pro *,ut'* priore loco scripsimus *,utrum'*. Constructio nullas praebet difficultates, quandoquidem ,utrum' Martiano fere unica particula interrogativa est, ut cognoscitur ex exemplorum maxima copia. Confer. p. 116. 1 | 117. 11 | 123. 1. 2. 7 | 128. 20 | 132. 33 | 133. 30 | 135. 16. 23 | 142. 26. 28 etc.'

123. 8. *,quod .... fuerit iunctum ex nomine et verbo, si plenum nomen et plenum verbum sit, necessario facit sententiam sed non necessario facit proloquium. Si enim est [quod iam est] affirmari et negari potest'*. Ad ea verba haec adnotat Peters. l. l. pag. 53 ,ultima horum intellegi non possunt nec satis plana fiunt eiectis verbis *,quod iam est'*. Quo accedit, quod cur haec a librario ascripta sint, non apparet. Nam quod Eyssh. dicit addita esse a quodam qui ,audiendum esse proloquium' non intellegeret, verisimile non est, quemquam adiecisse ea, quae sententiae per se obscurae spissiorem offunderent caliginem. Mihi corruptio inde orta videtur, quod librarius proloquium semel scripserit, cum geminare debuerit. Itaque sic corrigendum censeo: Proloquium enim est, quod iam affirmari et negari potest.' Sed et haec coniectura loci tenori non satis apta est et nimium a codicum scriptura abhorret. Mihi quidem verisimillimum est ante *,affirmari'* excidisse vocabulum *,dictum'*, ut sic legendum sit: *,Si enim est* (sc. proloquium) *quod iam est dictum, affirmari et negari potest'*. Ea enim de re largius exposuit supra p. 122, 5—24. Simul optime conveniunt ea verba cum insequentibus ,et supra diximus'.

141. 10. *,ac tunc illa* (Rhetorica) *respectans superos universos aliquanto commotiorque sic coepit'*. Pro *,aliquanto'* coniecit Halmius *,aliquando'* inepte neque coniecturam probavit Eyssh. neque ego probo. Tamen quomodo Eyssh. codicum scripturam, quam integram recepit, defendat parum intellego. Procul enim dubio coniunctio *,que'* est exterminanda, quod aperte elucet ex his exemplis: p. 16. 14 ,tunc Pallas aliquanto summissior .... improbat'. 100. 7. ,Pallas aliquanto concussior iocum .... inhibuit. 245. 6. ,Paphie paulum contractior ore .... laeditur'. Et re vera Rhetorica antea nimium intrepida videbatur cf. 138. 20 et 141. 3. Sic igitur restituto loco omnia recte procedunt.

145. 3. *,est intendendum ipsum illud, quod factum est, ut si id negaverit adversarius habeas coniecturam, si eo concesso nomen criminis excluserit intendas finem'*. Eyssenhardtius *,intendas'* scribens pro *,intellegas'* quod recte omnes codices tuentur, sententiam in deterius mutavit. Verba enim ,intellegas finem' respondent superioribus ,habeas coniecturam'. Idem iisdem fere verbis legimus supra p. 144. 25 ,coniectura erit .... potest et finis videri'. Praeterea et coniectura et finis principales sunt status cf. p. 144. 6—9, qua de causa fieri non potest, quin dicamus ,finem intendere'.

145. 7. *,qualitas in causa versatur, quae aut de re aut de actione congreditur: de re ut ,Milonine facere licuisset'*. *,ne'* addidit Eyssh. sed vide ne praestet scribere: de re: *,utrum Miloni facere licuisset'* pergit enim Martianus *,de actione: ,an servo ...... tribunos liceat appellare'* ubi itidem vocabulum *,ut'* omissum est. De ,utrum' vero interrogandi particula conferas supra ad p. 122. 27.

147. 13. *,Sic igitur inveniendi status facilis erit ratio, cum neque nomen admissi neque auditoris officium neque legem aut scriptum aliquod* **ingerimus** *intentionis loco [quae obici poterit]'*. *,ingerimus'* ab Halmio additur de coniectura. Eyssh. praeterea verba *,quae obici poterit'* delenda

[illegible] codices β R. b (B. *qui*). Itaque Peter[illegible] viam ingressus, sic locum restituendum esse censet l. l. pag. 56. *,scriptum aliquod intentionis loco obiecerimus'*. Sed multo lenius sanari potest hic locus multoque rectius, si pro *,legem'* scribitur *,lex'* hoc modo; *,cum neque nomen admissi neque auditoris officium neque lex aut scriptum aliquod intentionis loco obici poterit'*. Depravationes huiuscemodi saepius occurrunt in codicibus cf. infra ad p. 221. 13 et 263. 16 et adnotationes.

pag. 149. 13. *,RELATIO est cum de facto confessus culpam in eum, quem perculit, refert ut in Clodium Milo, Orestes in matrem, Horatius in sororem'*. In his *,de facto confessus'* latinum non est, praeterea in codicibus est *,confesso'* (*confessio* B). Locum sic emendandum esse censet Peters. l. l. pag. 56: *,Relatio est cum facto confesso culpa in eum qui perculit refertur'*. Omisit igitur *,de'* praepositionem, pro *,refert'* scripsit *,refertur'* *,culpam'* mutavit in *,culpa'* *,pertulit'* in *,perculit'*. Sed *,qui perculit'* est accusator ut patet ex insequentibus: ,REMOTIO est cum obiectum crimen in alterum vel in aliud ab eo, qui percellitur, removetur' (unde colligitur Martianum in his verbo ,percellere' uti pro ,accusare', qua de causa etiam Eyssenhardtii coniectura *,quem perculit'* reiicienda est); sed neque Clodius Milonem accusavit neque mater Orestem neque soror Horatium. Multo igitur praestat codicum lectio *,qui pertulit'* id est ,qui iniuriam accepit'. Activa deinde verbi ,referre' forma utique opus esse, apertum est ad intellegendum ex exemplis subiunctis ,ut in Clodium Milo, Orestes in matrem, Horatius in sororem (sc. culpam retulerunt), quod argumentum solum sufficeret ad Peterseni coniecturas refellendas. Sed omnibus iis mutationibus omnino non opus est. Totus enim locus lenissime restituitur si pro corrupto vocabulo *,de'* scribitur *,reus'* hunc in modum: *,RELATIO est cum reus facto confesso culpam in eum, qui pertulit, refert ut in Clodium Milo, Orestes in matrem, Horatius in sororem'*. Ea igitur in emendatione codicum lectiones integrae servatae sunt, excepta minima mutatione voculae corruptae ,de' in reus.*)

150. 31. *,ceteras quaestiones, quas status dicunt incidentes, advertant qui † talium didicerunt'*. Hic aliquid excidisse dilucidum est. Halmius supplevit *,praecepta'* vel *,rationem'*. Mihi facilius excidere potuisse videtur vocabulum *,adserta'*, cum praecedat *,advertant'* insequatur *,talium'*. Vocabulo prorsus eodem sensu utitur Martianus ac ,praecepta' vel ,quaestiones' vocabulis. Confer p. 149. 3. 150. 14. al.

152. 9. *,quidam habuit propinquos duos unum Lesium nomine aliumque Milesium, heredemque constituens sic locutus est HERES ESTO MILESI. qua distinctionis ambage certamen exortum dum heres ,esto mi' distinguit, qui Lesius dicebatur; alius vero continua nominis iugitate ,Milesium' dicit heredem'*. Ex iis verbis colligitur verba *,heres esto milesi'* non sic scribenda esse ut Halmius et Eyssh. et anteriores editores ea exhibent, illi enim omnem distinctionis ambagem sustulerunt, sed veterum more sic sunt exprimenda: ,HERESESTOMILESI'.

155. 4. *,aut illud subtilius conformatur, ut auditor inter laudem vituperationemque libratus velut adversantis loco ponatur'*. Pro *,adversantis loco'* quod Eyssh. coniecit, Halmius scripsit *,adversarii loco'*. Codices vero habent *,adversanti loco'*, quod recte se habere videtur, quia idem significet ac ,libratus' necesse est, id est modo huc modo illuc modo ad vituperationem modo ad laudem promptus. Neque video cur offendamus in vocabulis ,adversanti loco' mire sane coniunctis, cum illud ,libratus' non minus calamistris sit inustum. De casus ablativi ,adversanti' forma in i literam exeuntis cf. p. 196. 31, ,caliganti murice'.

157. 8. *,ARGVMENTVM est oratio, quae rei dubiae fidem facit. Res dubia est intentio et depulsio vel ratio et infirmatio rationis. cum enim obieceris ,occidisti' ut doceas, argumentatione firmatione uteris, maxime cum negatur.'* Pro *,argumentatione firmatione uteris'* in codice β_1 legitur *,argumentationem et firmatione vis'* (hanc ineptissimam lectionem Koppius recepit, qui quamquam Grotium quia non intellexerit locum vituperat, ipse eum plane non perspexit), in β_2 est *,argumentatione firmatione vis'* quocum convenit r (*,vis'* omittit R.) *,argumentatione firmatione ius'* B.

---

*) ad verba ,facto confesso' cf. p. 145. 4 et 5 et 150. 15.

(vel *,firmatione eius uteris'*). [illegible] ea verba ut sunt salebrosa et horrida sic nimium a codicum scriptura digrediuntur. At procul dubio emendandum est *,argumentatione firmabis'*. Sic enim non solum ad verba et literas nobis traditas proxime accedimus, sed etiam dilucidus horum verborum erit sensus. Simul etiam quemadmodum codicum corruptela nata sit facile perspicitur, nam ex antecedente vocabulo ,argumentatione' propter extremarum syllabarum similitudinem insequens ,firmabis' depravatum est in ,firmatione bis' unde nostrorum codicum corruptelae facile explicantur.

pag. 158. 1. ,(totum, si dubium est, definiri oportet) *sit res dubia ,utrum utilis eloquentia videatur' eloquentia totum est. In toto igitur definiendum sic ,eloquentia est bene dicendi scientia'*. Verba *,in toto igitur definiendum sic'* minus recte se habere patet ex antecedentibus. Corrigendum est: *,totum igitur definiendum est sic'*. Nil aliud mutavimus nisi quod voculam *,in'* eiecimus. *,totum'* enim est in β_1. *,est'* recte addunt b. β.

162. 24. *,ex hoc Terentius loco illud ,hic parvae consuetudinis causa huius mortem tam fert familiariter'*. Quid significent verba *,ex hoc Terentius loco illud'* nemo expediet. Sed pro *,loco illud'* β praebet *,illo loco'*. Itaque nobis sic emendare licet: *Et hoc Terentius illo loco:* (sc. facit, nimirum comparationem a minore ad maius). ,ex hoc' male etiam p. 105. 13 in codicibus β. B. D, exaratum est pro ,et hoc'. Deinde in iis quae subsequuntur: *,a PARIVM COMPARATIONE. Cicero ,et si non minus iucundi etc.'* inter vocabula *,comparatione'* et *,Cicero'* inserenda est *,ut'* particula.*)

163. 18. *,NECESSITAS vero dat fidem ex tormentis aut somno aut furore aut vinolentia, quae vocem alicuius rei extorquet invitis'*. Quomodo editores fugere potuerit, *,rei'* non esse casum genetivum vocabuli, quod est ,res' sed genetivum vocis ,reus' mihi quidem non apertum est ad intellegendum. β_2 optime insuper exhibet *,inviti'*. Scribendum igitur est: *,quae vocem alicuius rei extorquet inviti'*.

164. 1. *,conciliantur igitur animi tum personae tum rei dignitate. personae aut auditoris aut rei vel ipsius oratoris aut adversarii'*. Fallor an egregie conieci scribendum esse: *,personae ut auditoris aut rei vel ipsius oratoris aut adversarii'*. Sic enim multo melius ad rem quadrant ea verba atque minus sunt incondita. Vocabulo *,ut'* ad inserenda exempla opus esse, demonstravi supra ad p. 162. 24.

164. 16. *,ab adversarii persona conciliatio fit dum illius iniquitate aut arrogantia demonstrata nostra modestia commendatur. sed haec posterius in principiis, quoniam nunc non orationis partes sed dicendi formas et faciendae fidei species numeramus. quo loco patheticae quoque dictionis adtendimus facultatem* e. q. s.' *,quoniam'* scripsit Halmius pro *,quamquam'* quod est in codicibus. Sed etiam ea coniectura recepta haec verba non satis cohaerent. Itaque et quod attinet ad sensum et ad medelae lenitatem praestat ni fallor haec emendatio: *,Sed haec posterius. Et* (recte addit β) *in principiis, quamquam nunc non orationis partes sed dicendi formas et faciendae fidei species numeramus [quo loco] patheticae quoque dictionis adtendimus facultatem* etc.' ,quo loco' quod delevi a glossatore adiectum esse videtur, qui longa parenthesi interposita, initii verba ,et in principiis' desiderabat.

169. 9. *,usurpatis ergo haec simul pluribus verbis elocutus est, quae suis fortasse angustius aut humilius diceret.'* Ea verba nimium implicita aliter traduntur in codicibus. Pro *,simul'* quod Eyssh. coniecit anteriores editores et codices β B D exhibent *,similiter'* omnino recte. Eyssh. enim, quia B D *,haec'* male praebent, verborum contextum mutavisse videtur, sed β recte habet *,his'* pro *,haec'*. Itaque sic construendum est: Usurpatis ergo his similiter, pluribus verbis elocutus est e. q. s. Hoc enim loco agitur de usurpatione similitudinis (cf. p. 168. 24) et de allegoria, quae est continuata translatio; quare ,similiter' a Martiano dictum est pro ,per similitudinem'. Praeterea


---

*) Cum exempla afferuntur, illud ,ut' vix omitti potest. Ipse Halmius recte addidit p. 160. 12 et Eyssh. cum p. (ed. princ.) 161. 8. ubi equidem ,sicut' praeferam. Etiam supra 162. 12 post MAIORVM ,ut' inserendum est. Confer. omnino dissertationem meam pag. 51. ad 70. 25, ubi ea de re largius exponitur.


[illegible] ‚suis‘ id est suis propriis verbis, similitudine neglecta, quod solum ad β lectionem tuendam sufficere posset. Fortasse Eyssh. de alio sed diverso ab hoc cogitavit loco (p. 189. 20) quo recte Halmius vocabulum ‚simile‘ mutavit in simul‘.

p. 169. 22. *‚Jam COMPOSITIONIS praecepta percurram, cuius vitium maximum est hiulcas et asperas, frenos etiam, iotacismos myotacismos labdacismos homoeoprophora* ***dysprophora*** *et polysigma non vitare.‘* Omnes ii errores in subsequentibus deinceps accuratius explicantur, sed frustra ‚frenorum‘ vitii infra quaeres explicationem. Et re vera verba *‚frenos etiam‘* apertissimum sunt glossema, neque enim apte cum reliquis verbis cohaerescunt, neque ut reliqua vitia infra explicantur. Praeterea autem, quod est gravissimum, desumpta sunt e loco posteriore, quo de cacemphatis exponitur sic: p. 171. 17. ‚vitandi **etiam freni**, qui fiunt ex **asperrimis** litteris in unum concurrentibus‘ quo loco collato dubium esse non potest, quin librarius male doctus verba ‚etiam freni‘ ex eo mutuatus ad ‚asperas‘ inepte ascripserit. Deinde vero ea verba male inculcata genuinam verborum contextus formam plane turbaverunt. Primum enim demonstrari potest pro ‚frenos etiam‘ scriptum fuisse a Martiano *‚dysprophora‘,* quod vacabulum alio loco addidit Halmius. Scriptum enim fuisse tertio loco post *‚asperas‘* inde cognoscitur, quod infra ubi vitia explicantur, tertium ab ultimo commemoratur. Iis autem erroribus commissis totus reliquorum verborum ordo plane in deterius mutatus est. Verisimillimum enim est, vitiorum exempla posteriore loco (quo explicantur) contrario ordine enumerata esse ac nostro priore. Quod ut e reliquis eiusmodi locis cognoscitur (nusquam enim ordine nullo observato eadem exempla iterata leguntur) sic patet e libris manuscriptis, cum certissima exstent vestigia primitus usurpati ordinis eius, quem chiasmum appellare solemus. Priore enim loco primum commemorantur ‚hiulcae‘, eaedem posteriore loco sunt ultimae, dein priore loco ‚asperae‘ secundum sunt vitium, posteriore proximum ab ultimo. Priore denique loco ut demonstravi, pro ‚frenos etiam‘ legendum est ‚dysprophora‘ quae igitur tertium sunt vitium, posteriore loco eadem tertium sunt ab ultimo. Sed inde ab hoc loco omnia sunt perversa et confusa, ut patet e tabula subiecta, in qua comparationem verborum ordinis ut est utroque loco in codicibus instituimus:*)

Sic enim nunc leguntur:



Sed procul dubio sic primitus se habebant:



*) Ut patet ex iis tabulis etiam verba ‚homoeoprophora‘ et ‚polysigma‘ recto ordine posita sed pravo loco inserta a codicibus nobis servata sunt.

[illegible]que totus locus sic restituendus esse v[illegible] *,tum c[illegible] praecepta percurram, cuius vitium maximum est hiulcas et asperas, dysprophora, homoeoprophora, polysigma, iotacismos, labdacismos et myotacismos non vitare.'* Hanc esse veri restitutionem et inde cognoscere licet, quod ea emendatione probata quae coniungenda erant rectissimo coniuncta ordine conspiciuntur. Sic enim ,dysprophora et homoeoprophora' sic ,iotacismus labdacismus myotacismus' et coniuncta et literarum ordine, ut par est, disposita leguntur, quare equidem sic verborum contextum restituere dubitare nolim.*)

p. 170. 12. ,DYSPROPHORON (est) *ut si quis dicat ,persuasitrices praestigiatrices atque inductrices strigae.'* Pro *,strigae'* quod Halmium habet auctorem in B est *,triges'* in β R b *,tigres'*. Vocabulum ,striga' inauditum est apud Martianum, quare praestaret scribere ,circulatrices' quod est p. 100. 15. Sed ni fallor illud *,triges'* nil aliud est nisi extrema antecedentis vocabuli ,inductrices' pars dittographiae, quam appellamus, errore nata, quare exterminandum esse videtur. Ad sententiam complendam nil desideratur quia vocabulum ,praestigiatrix' pro substantivo nomine habendum est.

180. 17. *,haec figura a superiore* **hoc** *differt, quod ibi etc.'* Vocabulum ,hoc' ex editione principe receperunt Halmius et Eyssh., omittunt omnes codices, neque eo opus est, siquidem plane idem legitur his locis: p. 178. 2 ,haec figura differt a superiore, quod ibi etc.' 178. 9. differt a superiore, quod et q. s. 178. 21. haec figura a superiore distat, quod' et q. s.

182. 29. *,nimia excursio vel longa deambulando extenuat ac fatigat.'* Pro *,deambulando'* β r et editiones priores praebent *,deambulatio'*. Inepte certe dicitur excursionem fatigare deambulando, nam hoc per se intellegitur. Ineptius etiam adderetur ad verba ,nimia excursio' insulsum ,vel longa'. Quare scribendum est *,nimia excursio vel longa deambulatio'*. Melius vero placeret verba ,vel longa deambulatio' ut glossema e verborum contextu exterminari.

191. 6. ,(inducimus quaestiones varie:) *aut per simplicem propositionem aut per partitionem aut per figuras, quas dianoeas dicunt.'* Pro *,dianoeas'* scribendum est *,διανοίας'* graece. His enim paginis in libris mss. omnia graeca nomina latinis scribuntur literis. Deinde ,dianoea' dici non potest latine. Verbum ,dicunt' denique non exigit nomen latinum cf. ut exemplum addam p. 192. 19 ,indignationem quam δείνωσιν dicimus, miserationem quam οἶκτον vel ἔλεος memoramus.

195. 8. *,arcibus urbanis veteres tibi* (Palladi) *templa sacrarunt,*
quod ratio amplificet quodque est elatior urbe.'

Posterior hic versus non apertus est ad intellegendum neque sic exstat in codicibus, sed in iis legitur *,urbes'* pro *,urbe'* quod Grotius coniecit. Quaenam esset ,ratio elatior urbe'? Suspicor scriptum fuisse *,elatior orbis'*. ,elatior' vero positum est pro forma superlativa ,elatissima', de quo usu apud Martianum frequentissimo accurate exposui in dissertatione pag. 24 ad 100. 20, quam conferas.

195. 30. ,(Satyra ait:) *nunc Arcadicum ac Midinum sapis* (Martiane) *praesertimque ex illo quo desudatio curaque districtior tibi forensis rabulationis partibus inligata aciem industriae melioris obtudit.'* Pro *,ex illo quo'* quod ne apud Martianum quidem significare potest ,ex illo tempore quo'

---

*) Minime vero hic locus solus est, quo talis exorta sit confusio. Confer ut exemplum addam p. 191. 9. | 251. 9 al. Sed ego hac occasione data de alio loco breviter expositurus sum. Legitur enim p. 249. 21: *,primus* (sc. tropus) *συστατικός, secundus τμηματικός, tertius ἀνάγραφος, quartus ἔγγραφος, quintus περίγραφος, sextus παρεμβολικός, septimus προςευρετικός. τμηματικός est qui docet quibus argumentis lineas praecidamus ad imperatum modum. συστατικός dicitur quo docetur, quibus argumentis propositae lineae adscribi possint.'* (sequuntur deinde reliqui quinque tropi plane eodem quo supra ordine). Verba *τμηματικός* et *συστατικός* rectissime posteriore loco transposuit Grotius, quia in codicibus, locis in vicem commutatis, alterum ante alterius explicationem demigraverunt. At ea emendatio non sufficit, propterea quod nunc exemplorum ordo non idem est utroque loco. Itaque etiam priore loco eadem verba *τμηματικός* et *συστατικός* locum commutare debent; iis enim transpositis utrinsque loci habitus, ut par est, idem erit. Hoc igitur loco duplicem factam esse confusionem credendum est. Primum enim posteriore loco, sicut supra exposui, verba *τμηματικός* et *συστατικός* male inter se locum commutaverunt; deinde vero nescio quis etiam priorem locum consulto ad posterioris similitudinem redegit. Emendatio mea ideo est certissima.

[illegible] *‚ex illo quod‘* tum non de tempore [illegible] addens cur Martianus Arcadicus nominari mereatur. Codicis R lectio *‚ex quo‘* librarii coniecturae ortum debere videtur.

p. 196. 7, (*Παιδεία*) *utpote talentorum conscia in omnium rara congressus, nec cuiquam facile primores saltem vultus superba committens plerumque tamen adhaesit arrisitque pauperibus, magisque illis quos aut pedibus nudos aut intonso crine hispidos aut sordenti conspexit pallio semitectos: denique si Marcum Terentium paucosque Romuleos excipias consulares, nullus prorsus erit* ***dives,*** *cuius ista limen intrarit.‘* In his difficillimis verbis latere corruptelam viros doctos non fugit, sed nemo eorum meo quidem iudicio eam sanavit. Vera et simplex totius loci emendatio efficitur, si pro *‚primores‘* scribitur *‚primorum‘*. Hoc necessarium esse iam inde apparet quod ‚cuiquam‘ genetivo partitivo nullo modo carere potest, quia omnino perversus fieret sensus, si Martianus modo diceret, nemini *Παιδεία* ne vultus quidem monstrat‘ modo vero subiungeret ‚tamen pauperibus adhaesit arrisitque philosophis‘, ut taceam de horrida re vera horum verborum coniunctione ‚primores vultus‘. Et accedunt etiam aliae non minus graves causae. Nam hoc ipsum ‚tamen adhaesit pauperibus‘ manifeste notioni alicui antecedenti oppositum est, quae adhuc male deerat; atque per totam reliquam sententiam primores pauperibus vel obscuro loco oriundis opponuntur. De primoribus ipse Martianus apertis verbis loquitur M. Terentium Varronem Reatinum (quem auctorem ipse toto sui operis argumento imitatur) nominans atque consulares, viros summa videlicet nobilitate egregios. Deinde non necesse erit, ut cum Eyssh. versu 13. post *‚erit‘* inseramus vocabulum *‚dives‘* vel lenius etiam cum Peterseno (cf. l. l. pag. 58.) versu 14 ante *‚vides‘*. nam tum nemo nesciet iam, postquam de pauperibus dictum sit, de primoribus dictum iri. obstat insuper quod nobilitatis significatio tenenda est non divitiarum notio, quandoquidem consulares nominantur, quod nomen non tam ad divitias quam ad nobilitatem referendum est. Fortasse denique aliquis offendi possit particula ‚saltem‘ ante vocabulum ad quod pertinet posita, sed is conferat p. 348. 6 ‚saltem Thracius citharista perdocuit‘. Similiter ‚igitur‘ in initio sententiae ponitur. cf. p. 134. 22. 25. 28. | 151. 13. | 157. 29. | 270. 22. | 287. 27. | 293. 17. | 368. 25. Sed etiam verborum: ‚(Paedia) *utpote talentorum conscia in omnium rara congressus‘* sensum nemo expediet, sed cum plura temptari possint (congressa, congressu, congressibus) quid maxime probabile sit difficile est dictu.

198. 13. ‚(Geometria cum) *magistra ceterarum quae notae divis sunt [artibus] diceretur, exquisitum est eruditionis arcanum.‘ ‚artibus‘* delevit Eyssh.; sed praestat fortasse corrigere *‚artium‘* quia ea notione carere nequimus. Geometria enim magistra dicitur ceterarum Artium, quae disserentes antea a deis cognitae sunt.

202. 15. *‚[quae] sive‘* scripsit Eyssh. pro *‚quae sibi‘* quod est in codicibus. Melius etiam placeret *‚sive quod‘* quia versu 20 alterum *‚sive quod‘* insequitur, cui prius respondere debet.

209. 15. *‚Cornelius auctor adfirmat quendam Eudoxum fugientem regis insidias ex Arabia in Gaditana pervenisse refugia. Caelius Antipater se hominem vidisse confirmat, qui negotiationis ardore in Aethiopiam ex Hispania navigasset. idem Cornelius post captos Indos per Germaniam navigavit.‘* Postrema haec verba: *‚idem Cornelius post captos Indos per Germaniam navigavit‘* non habent Martianum auctorem, sed ascripta sunt a lectore, qui nostrum cum Plinii hist. nat. lib. II. 170 comparavit atque breviter et neglegentissime excerptam hanc notitiam adiecit. Suspitionem etiam movet verbum ‚navigare‘ eodem versu repetitum, nam Martianus data opera variationem orationis consectatur. Non defuisse, qui Martianum cum aliis auctoribus conferrent, colligitur e loco, de quo infra verba faciam (cf. ad p. 318. 25) et e codicis β loco p. 121. 1, quem tetigi in dissertatione pag. 27. Itaque cum etiam Eyssenhardtii coniecturis probatis (adnotat enim: ‚an *‚posuit‘* pro *‚post‘* et *‚navigasse‘* scribendum‘? locus obscurissimus relinqueretur, ea verba exterminare non dubitabimus.

215. 17. *‚habitatio Circeia Terracina, prius insula, nunc continenti iuncta, Rheginique ab Sicilia continenti separati atque in compensationem conexae telluris in insulam relegati.‘* Horum

[illegible] autem ‚continenti iuncta', sic nunc Sicilia prius cum continenti Rheginorum cohaerens, ab ea avulsa est. Itaque Salmasii coniectura (ad Solinum p. 83.) recipienda est: ‚*eaque in compensationem conexae telluris in insulam relegata*'.

p. 221. 13. ‚*deinde in Phocidis campis oppidum Cirrha, portus Caleon, a quo in septem milibus passuum introrsus oppidum Delphos sub monte Parnasso, clarum oraculis Apollinis.*' Accusativus casus ‚*Delphos*' ferri non potest. Scribendum est ‚*Delphoi*' vel ‚*Delphi*'. Idem error saepius occurrit, sic infra p. 230. 8 recte monet Grotius scribendum esse ‚*colonia*', sed quod eodem loco Koppius adnotat, se malle p. 230. 4 legere ‚*provincia Tingitana*' nihili est, quia eo loco accusativus casus pendet a praepositione ‚*ultra*', subiecta enim sententiae pars est ‚*septem montes*'. Idem denique error exstat in codice β. p. 231. 4 ‚*maxulā*' et 235. 21. ‚*palmirā*'.*) Alia vero est quaestio de graecis nominibus in is, idis exeuntibus, ea enim saepius accusativo casu usurpata inveniuntur apud Martianum velut p. 226. 6 *Chalcida* 231. 24 *Ptolemaïda* 243. 9 *Persida*. Deinde p. 100. 7. 333. 17. 346. 24 *Tritonida*, quare iis in locis nil mutaverim.

228. 2. ‚*post* (Ripaeos) *montes trans Aquilonem Hyperborei, apud quos mundi axis continua motione torquetur.*' ‚*motione*' est in b. D, sed in optimis libris β B legitur ‚*ratione*' unde procul dubio faciendum est ‚*rotatione*' quod vocabulum sententiae nostrae aptissimum etiam apud Vitruvium invenitur. cf. lib. X. 3. 9.

237. 1. ‚*in proximo Caria est, mox Jonia et ultra Aeolis sequitur. In Phrygia Celaene antea, in Apamiam commutata.*' Pro verbis: ‚*Aeolis sequitur in Phrygia*' est in codicibis: ‚*eolis redi (redit* b. D*) in frigia (frigiam* B D*)*. Itaque scribendum esse videtur: ‚*in proximo Caria est, mox Ionia et ultra Aeolis. Sed in Phrygia Celaene antea in Apamiam commutata.*' Consentit Plinius l. V. 103: ‚in proxuma ora Caria est, mox Ionia, ultra eam Aeolis.'

242. 1. ‚(incolae Taprobanes) *in navigando nullum sidus observant, avium quas vident volatus secuntur.*' In codicibus β B R pro ‚*avium quas vident*' est ‚*avium quas veut*' in b ‚*avium quas vehunt*' in r ‚*avium quas eut*'. Eyssh. coniectura displicet, tum quia sententiae non cohaerescunt, tum quia illud ‚*quas vident*' superfluum atque ineptum est. Meliorem lectionem Koppius e codice Monacensi A ut dicit protulit: ‚*aviumque volatus sequuntur.*' Sed omni emendationi obstat, quod apud Solinum, quem auctorem Martianus in hac sui operis parte expilavit, eandem lectionem habemus ac est in b. cf. Solin. p. 218. 10 ‚vehunt alites' (quarum meatus terram petentium magistros habent cursus regendi). Et eadem lectio exstat etiam apud Plinium, quem Solinus et ipse exscripsit. cf. lib. VI. 83 ‚volucres secum vehunt emittentes saepius meatumque earum terram petentium comitantur.' Inde vero luculenter apparet nobis acquiescendum esse in lectione b emendatoris (avium quas vehunt volatus sequuntur) et ipsum Martianum qua est socordia Solinum adeo neglegenter excerpsisse. Quid? cum Martianus vel errores codicum Solinianorum exscripserit, qua de re conferas Fr. Luedeckium, qui ‚de Martiani Capellae libro sexto' separatim egit Gottingae 1862. pag. 36. sqq.

245. 12. Postquam Geometria de geographica sui officii parte exposuit, transituram ad ipsius disciplinae praecepta illustranda interrumpit Voluptas Veneris ministra, iam dudum propter moras futuris Mercurii et Philologiae nuptiis illatas indignantis, his verbis:

‚unde haec tam duris immitis rustica membris
pereyit orbis circulum,
et tantos montes fluvios freta compita currens
delere venit taedia?'

---

*) Huc redit etiam hic locus: p. 227. 17 ‚*nec procul fluvius lacus oppidum, sub uno cuncta nomine Borysthenes, propter Achillis insulam eius sepulchro celebratam*'. Hic enim procul dubio corrigendum est: ‚*propter Achillis insula eius sepulchro celebrata.*' Accusativus casus inde male ortus est, quia fuerunt, qui ‚propter' adverbium putarent praepositionem! Nemo editorum mendum foedissimum animadvertit.

delendi causa tot terras percurrisse, ineptissima est neque seriesa [illegible]. Sed [illegible]lima loci restitutio esse videtur haec: ‚*deferre venit taedia*'. Hoc enim et totius loci tenori quam maxime respondet et optime cum iis quae postea leguntur convenit. Venus enim magis atque magis mora nuptiis parata irascitur. Confer omnino p. 245. 6 sqq. et 24 sqq. 255. 1 usque ad 256. 12 | 297. 12 sqq. et praesertim 331. 7 usque ad 332. 15 ,quibus locis collatis nemini nostra coniectura non arridebit.

p. 250. 14. ‚*apodictici tropi ideo transeuntur, cum mihi cum Dialectica, quam audistis, communes sint. sed omnia schemata quinque partibus communibus intexuntur.*' Pro vocabulo ‚*communibus*', quod hic nullum habet locum, in codicibus β B R est ‚*communes*' ita ut manifestum sit id per errorem e versu antecedente huc irrepsisse, ubi nullum praebet sensum, quare e verborum contextu exterminandum est.

255. 11. ‚*in Veneris agro Pallas sibi vindicat usum:*
quam melius thalamo dulcis petulantia fervet.'

Vox ‚*Petulantia*' ni fallor maiuscula in initio litera scribenda est. Nam ea quidem divina quasi induta specie opponitur Palladi, quae contra ius ‚usum Veneris in agro sibi vindicat' qui magis dulci Petülantiae convenit. Sic infra p. 298. 21 in versu ‚*nec scit modum voluptas*' vocabulum Voluptas maiuscula litera scribendum est quia significat illam Veneris famulam resolutam, de qua agitur p. 245. 11 et de qua primum cogitatur si de Veneris famulitio sermo est ut p. 297. 13. Eadem etiam nominatur p. 331. 10. | 332. 15. | 338. 21 quare etiam eo loco, quem designavi (p. 298. 21) supra, de ipsius Voluptatis persona dubitari non potest.

258. 9. ‚*hanc* (monadem) *igitur patrem omnium Iovem rite esse nominatum, quod quidem idealis illius intellectualisque speciei vis causativa testatur.*' De monade sermo est, quare ‚*nominatum*' vix ferri potest. Monas enim Iupiter est nominata, quod apertum est ad intellegendum et e versu 20 ‚tamen rectius (monas) Iuppiter nuncupatur' et e toto sententiarum conexu. Addo codicem γ*) exhibere ‚*nominata*' unde corrigendum est ‚*nominatam*'.

263. 16. ‚*septem corporis partes hominem perficiunt: caput tenus imum collum, pectus, venter duas manus pedesque.*' Corrige ‚*duae manus*' cum accusativus casus ferri non possit. Errorem, qui in β B etiam ad praecedens vocabulum (ventrem) progressus est, e praepositione antecedente (tenus) natum Koppius iam sustulerat, ut dicit e Darmstattensi codice, sed id, ut ex Eyssh. apparatu cognoscitur, minus recte contendit. Confer praeterea supra ad p. 147. 13 et 221. 13.**)

Infra p. 264. 1 Eyssh. Koppii lectionem ‚*item*' pro ‚*idem*' recipere debuit, cum fieri non possit, quin etiam de octade sermo sit; immo Martianus id agit ut demonstret omnes cubos per imparium incrementa inveniri.

268. 3. ‚*nemo longius procedere simili multiplicatione potest, quin ut duplicatione revoluta scanderit sic per replicationes item in plures partes digeritur. nam viginti et bis dena sunt et quinquies quaterna et decies bina et quater quina.* **Quattuor** *deinde species* e. q. s. ‚*et quater quina*' omittunt β B R ut patet ex apparatu Eyssh. Recte enim monet Peters. l. l. pag. 24 in adnotatione: ‚*quattuor* cur inclinatis litteris imprimeretur causa nulla fuit. Nam B1 R non hac voce carent, sed praecedentibus: ‚quater quina'. Tamen iis omnino opus est; sed e sententiarum conexu patet ea pravo

---

*) Litera γ insignivi codicem Bernensem 331, quem primus item excussi magnam partem. Conscriptus est saec. XI. et continet duos priores Martiani Capellae libros, deinde quartum integrum et septimum mutilum a fine, desinit p. 284. 13. ed. Eyssh.

**) Huc ni fallor etiam redit hic locus p. 301. 24: ‚*utinam .... nullae me in Graecia terrestres inlecebrae nec iactantes crinitorum scopas palliolis contegendam potius quam divulgandam cognovissent!* Hic enim pro ‚*scopas*' nominativam vocabuli formam σκοπαί reponendam esse recte perspexit Grotius. Nam quod Eyssh. adnotat: ‚sed structura est' philosophi qui σκοπάς iactabant' haec est adeo portentosa structura, ut exemplo firmari sane nequeat. Alia vero emendandi locum ratio admitti non potest.

loco ab editoribus inserta esse; sic enim scribendum est: *,viginti et bis dena sunt et quinquies quaterna et quater quina et decies bina.'* Nunc etiam satis patet quomodo ea verba excidere potuerint.

p. 272. 8. *,omnis numerus pars est alicui numero maiori, qui aut multiplicatione procedit aut ratione membrorum aut partium etc.'* Pro *,maiori qui'* B1 R1 habent *,maior'* β1 *maior autem* β2 *maiori maior autem.'* Itaque scribendum esse videtur cum β et editionibus anterioribus *,omnis . . . maiori. maior aut multiplicatione procedit aut etc.'* Similem in modum infra versu 13 legitur ,minor vero numerus aut replicatione minuitur aut ratione membrorum vel partium etc.'

282. 17. *,itaque per se etiam inter se incompositi sunt, qui per se componuntur non protinus etiam inter se componi possunt.'* Haec postrema sententia paragraphi Koppianae 775, quam totam exscribere longum est, haud recte se habet. Sed in β sic eadem legitur: *,itaque inter se qui per se con componuntur.' inter se incompositi sunt non protinus etiam inter se componi possunt.'* Ea verba glossemate aliquo inculcato turbata esse videntur. Equidem totum enunciatum sic restituo: *itaque qui per se componuntur non protinus etiam inter se componi possunt.'* Tum recte omnia procedunt, nihil aliud enim Martianus expositurus erat.

284. 7. *,si duo numeri inter se incompositi sunt, et alter ex his se multiplicabit effectusque sic numerus rursus ipse se multiplicabit, qui sic effectus est numerus cum altero illo non componitur. sint duo et tres. uterlibet numerus se multiplicet, fiunt bis bina quattuor, ter terna novem. rursus hos numeros eidem multiplicent. fiunt bis quaterna octo, ter novem viginti septem. sumantur nunc duo et viginti septem vel duo et novem: aeque inter se incompositi sunt.'* Primum moneo pro *,multiplicabit,* utroque loco emendandum esse *,multiplicarit'* qua de re in dissertatione iam exposui pag. 36 ad 283. 30. Deinde vero verba *,effectusque sic numerus rursus ipse se multiplicarit'* prorsus sunt falsa, ut e sequentibus elucet. Nam si sumuntur duo et tres, et si alter se multiplicarit, non fient, si deinde effectus sic numerus rursus ipse se multiplicarit, ut infra legitur octo et viginti septem, sed fierent sic sedecim et octoginta unum. Satis igitur manifestum est emendandum esse: *,effectumque sic numerum rursus ipse multiplicarit'* ut verba conveniant et cum his ,rursus hos numeros eidem multiplicent' et cum iis quae insequuntur versu 17: ,deinde effectum ex se rursus multiplicaverit.' Eadem denique sententia Eyssh. nulla necessitate *,eidem'* scripsit pro *,idem'* quod est in β B R. Sic etiam infra p. 292. 18 nescio cur scripserit *,eidem'* pro *,idem'* quod ibi etiam legitur in β B R. Confer enim p. 289. 9. 27. | 290. 11. | 291. 18. | 292. 15. ubi recte codicum lectionem *,idem'* pro *,eidem'* ipse Eyssh. recepit.

286. 4. *,sint duo numeri quattuor et octo, itemque alii duo quinque et septem, neuter ex prioribus componi cum altero insequentium potest.'* Pro *,altero'* scribendum esse *,alterutro'* ut e totius loci tenore patet sic cognoscitur e versu primo *,ut neuter ex prioribus cum alterutro ex insequentibus componi possit'* ubi idem error exstat in β1 qui etiam hoc loco male exhibet *,altero'*.

287. 10. De duorum inter se ,incompositorum' numerorum communi maxima mensura quaestio est: *,oportet . . . . . . minorem numerum maiori detrahere quotiens potest. deinde quantum ex priore superest, tantundem demere ex minore quotiens potest. qui sic intererit numerus, is erit eorum numerorum mensura maxima.'* Haec falsa esse primum intellexit Peters. l. l. pag. 27, qui dicit: ,habent autem B1 R *,maiorem'* pro *,minorem'* et *,minori'* pro *,maiori'*. Qui haec mutavit, quod ad emendationem perficiendam necessarium erat, ut simul ,posteriore' pro ,priore' scriberet, id facere oblitus est.' Itaque Peters. restituendum esse monet: *,oportet maiori numero minorem detrahere etc.'* Sed multo praestat codicis β1 hanc lectionem recipere: *,oportet . . . maiori numerum minorem detrahere etc.'* ubi nil mutavimus nisi quod pro *,maiorem'* correximus *,maiori'*.

295. 5. Locum non exscribo, quia longior est. Vocabulum *,duo'* utique delendum est quia plane seiunctum est a re proposita atque sententiam turbat, quare β2 b malam corrigendi viam ingressi scripserunt *,duo in alterius latere'*; sed de vocula *,duo'* exterminanda nemo amplius dubitabit collatis his omnino similibus sententiis. p. 294. 15—17. 23—25. 295. 13—14.

icta corusciferi subito laquearia caeli.'

,subito' coniectura est Vulcanii; in codicibus mirae exstant lectiones *,subi ubi tunc* B *ubi tunc* b. *subitunc* β R. Sed quomodo tantae si scriptum fuisset *,subito'* corruptelae oriri potuissent non video, quare reponendum esse suspicor: *,subitum'*, primum enim confusio syllabarum ,tum' et ,tunc' in codicibus est solemnis; deinde autem saepius haec est adverbiorum forma apud Martianum. Confer. p. 297. 7 *,blandum'* 297. 28 *,stupidum'* 300. 19 *,tragicum'* 337. 17 *,blandum'*.

305. 23 *,nunc eorum* (circulorum) *spatia, unde primo coeperam, perhibebo'*. Ad ea verba Peters. l. l. pag. 29 haec adnotat: ,coeperam' quod Eyssh. sumpsit a Bambergensis libri emendatore (b), qui ,ceperat' (?) scripsit, nec significatione verbi nec tempore aut modo aptum est. Eius autem loco in B est ,concipere' in R ,conciperem'. Unde colligo Capellam scripsisse: ,conceperim'. Facit enim Astrologiam dicentem se circulorum spatia mente concepisse.' Sed primum ,concipere' nondum est ,mente concipere', deinde vero verba ,unde primo conceperim' stare non possent. Quomodo vero ,coeperam' quod recte etiam in β legitur, nec significatione verbi nec tempore aut modo aptum sit parum intellego. Re vera enim de circulis eorumque spatiis supra iam sermo erat, et verba ,unde primo coeperam' excipiunt haec antecedentia p. 305. 6: ,quod planius postmodum faciemus,' Ea recte se habere et proxima sententia demonstrare potest (v. 24) ,ac prius ad septentrionalis circuli redeam granditatem,' Tempus vero et modus sunt aptissimi.

314. 13. *,si spatia signorum aequalia sunt* (sic recte β pro *,sint'*) *aut Sol tardiore cursu quaedam signa transcurrit, aut [in] dierum ratio diversitate mentitur.'* Praepositionem *,in'* editores Ettenheimuensterensi codice interpolato freti nullo iure delent, immo ea ad intellegendam sententiam utique opus est. Sensus enim hic est: Si signorum spatia aequalia sunt, aut Sol non eadem celeritate ea transcurrit aut ratio humana in diversitate dierum mentitur (id est ,fallit'). dies igitur omnes essent sibi pares. Verbum ,mentiri' vero si pro fallere usurpatur fere semper cum praepositione ,in' coniungitur, quae res notior est quam ut eam exemplis confirmem.

315. 19 ,(nunc planetarum orbes edisseram, quos) *non planetas sed planontas, sic ut ratio asserit, memorabo.'* Verba *,sic ut ratio'* coniectura Eyssh. orta sunt, pro iis in codicibus est: *sicut arator* β *strator* R *sic̄ orator* r. *sicut* B in rasura *,aratus'* addit b. (cf. addenda et corrigenda apud Eyssh. in praefatione editionis pag. LXV.) Sed dubium esse non potest quin hoc loco auctoris nomen lateat. Ubi enim de praeferendo nomine ,planontes' prae ,planetae' sermo est, ratione teste uti non licet neque oratore, quod Koppio meliorem lectionem non habenti placuit, sed auctoris alicuius nomine opus est. Quare Grotius de ignoto quodam Stratone, ipse vero Koppius recte de Arato cogitavit, cuius canon huiusmodi argumenta tractabat. Itaque corrigendum erit: *,sicut Aratus asserit'*. Proxime insuper accedunt codicum β b lectiones. De verbi asserere significatione cf. p. 201. 20 et 21. | 203. 13 et de substantivis nominibus inde deductis p, 307. 11. | 318. 3. | 320. 8.

318. 7. ,(adprobatur) *Lunae circulum centies esse maiorem,* (quam terrae circuitus) *qui quidem circulus ipsa Luna sexcenties potius invenitur. quae duo ex defectibus Solis assiduis, quantum umbrae Luna subiecta reddiderit et ipsius umbrae conlatione cum ipo Lunae corpore vera dimensione monstrantur.'* Post vel ante verba *,vera dimensione'* aliqua excidisse luce clarius est. Ipsa enim haec sententia manca est neque antecedentibus neque insequentibus respondet. Duo enim (ut dicit Martianus pro duae res) e defectibus solis cognoscuntur: Primum nimirum quantum umbrae Luna reddiderit, alterum vero desideratur. Itaque ego sic fere restituendam esse sententiam censeo; . . . . . *,et ipsius umbrae conlatione cum ipso Lunae corpore magnitudo eiusdem vera dimensione monstrantur.'* Similem enim in modum lacunam explendam esse cognoscitur evidenter ex insequentibus, pergit enim Martianus: ,quae . . . . . quem ad modum dimensa sim demonstrabo' . . . . atque repperit primum Lunae umbram duodevicesimam terrae partem continere, deinde vero (versu 24) Lunam sexies minorem esse orbe terrae. Itaque si lacunam sicut feci explere nolis reponas lacunae signum.

p. 318. 25 usque ad 319. 19 (paragraphus Koppiana 860). Comparato apparatu critico cum ipsius contextus verbis statim qualis quantaque eorum sit discrepantia apparebit. Verum librorum editorum verba non genuina immo e Macrobio (I. 21. 12) aucta esse optime demonstravit Peters. l. l. pag. 31 sq. Et certe codicum β B R lectiones pro germana Martiani scriptura habendae sunt, sed qualia ea verba in B R traduntur haud satis liquent. Ipse etiam Peters. locum lacunosum dicit neque restituere conatus est. Et primum quidem enunciatum restitui non potest, quia plura exciderunt; quem fere in modum lacuna posset repleri verbis in parenthesi additis indicavi. Reliqua vero paragraphi pars collato β aliquotenus sanari potest. Ille enim ad verbum consentit cum codicis Grotiani (apud Koppium pag. 670) scriptura et ipsa quidem lacunosa sed veritati propiore quam reliquorum codicum lectiones; sed ea verba apud Grotium Koppiumque tam male interpuncta leguntur, ut emendatione vel hanc ab causam opus sit. Meo quidem iudicio totus locus sic fere est conformandus: ‚*Luna autem minor est orbe suo sexcenties, quod clepsydris* †††† (intellegi potest. Supra vas aëneum aliud plenum) *fusile imponas atque emersa omni subtrahas primum, et aliud vas apponas, donec nocte alia renascatur. Adiecto ad circuli spatia eo quod excurrit partubus — et ipso item Lunae corpore, quoniam de circulo hoc quoque esse non dubium est — invenies sexcenties aquam excrescere, unde colligas circulum eius totiens esse maiorem. si ergo ipsa Luna maior sexies terra, sexcenties circulus eius maior Luna, vides lunarem circulum centies maiorem esse tellure.*‘ In his codicis β verbis nihil aliud mutavi, nisi quod pro ‚*partibus*‘ scripsi ‚*partubus*‘ et pro ‚*et quod excurrit*‘ ‚*eo quod excurrit*‘. ‚Partubus‘ scripsi pro ‚partibus‘ quia de spatio sermo est, quod luna nascente consumitur; de forma vocis ‚partubus‘ cf. p. 21. 17. Verba ‚adiecto ad circuli spatia eo quod excurrit partubus‘ sic explicanda sunt: Ad aquam, quae in alterum vas defluxit inde ab eo tempore, quo luna tota emerserat usque ad id tempus, quo insequente vespere denuo nata est, etiam prioris vasis aqua addenda est, quia procul dubio et ipsum lunae corpus circuli eiusdem pars est. Aqua deinde ex utroque vase permixta sexcenties excreverit comparata cum prioris vasis aqua, indeque concluditur, circulum Lunae sexcenties maiorem esse corpore eiusdem. Reliqua explicatione non egent, sed recte sic omnia procedunt.

321. 7, ‚*Luna circuit totum signiferum diebus viginti septem et besse, sed Solem XXVIIII diebus et media diei noctisque parte consequitur, quod ideo tardius provenit, quia cum suum peregerit circulum, ex quo ipse Sol ab eodem loco, qui ei lumen dederat, excurrit et in signo proximo aut etiam altero repperitur.*‘ Verba ‚*ex quo ipse Sol ab eodem loco, qui*‘ mendosa esse primus intellexit Peters. l. l. pag. 70 qui pro ‚*ex quo*‘ scribendum proponit ‚*aeque*‘ pro ‚*qui*‘ emendat ‚*quo*‘, quoniam non locus lunae lumen det, sed sol aliquo loco positus. — Consentit β qui optime exhibet ‚*quo*‘. Tamen ego persuasum habeo non ‚*aeque*‘ scribendum esse pro ‚*ex quo*‘ sed ‚*et*‘ (i. e. etiam). Illud ‚quo‘ enim a posteriore loco male in priorem nostrum aberrasse videtur. Voculae vero ‚ex‘ atque ‚et‘ saepius confunduntur in libris manuscriptis nostris velut p. 275. 28 ‚ex‘ β b ‚et‘ B R. 314. 16 ex β_1 et β_2 B R p 318. 9 ex D et β B R al..

324. 3. ‚*hae species diversitatesque Lunae superae mutabilitatis varietate confundunt.*‘ Ea sententia vix intellegi potest nisi pro ‚*confundunt*‘ ex editione principe (p) ex qua etiam verba ‚*superae mutabilitatis*‘ (*sui martalitas* B R *sui mortales* β b *sui martalis* r) recte desumpta sunt, scribitur ‚*confunduntur*‘. Sed melius etiam placeret ‚*colliguntur*‘. Cf. p. 318. 23 et 319. 6 in apparatu critico, quo ut supra demonstravi genuina scriptura exstat.

325. 19. ‚*Illud superfluum puto noctium accessus defectusque memorare, cum pares pro rata sint aestivis diebus hiemis noctes, et hiemalibus diebus noctes aestivae.*‘ In codicibus pro verbis ‚*pro rata*‘ legitur ‚*pro rota*‘ quod explicari non potest, quare Grotius coniecit scribendum esse ‚*pro rata*‘ scilicet proportione, Sed unde illud ‚proportione‘ sumamus? Vide igitur, ne scribendum sit levissima adhibita mutatione: ‚*cum pares proorta sint aestivis diebus hiemis noctes etc.*‘ Sane quidem verbum ‚prooriri‘ alioquin est inauditum, sed eorum inauditorum series apud Martianum paene est infinita multoque exstant audaciora. Similem in modum finxit ‚profera‘ vocabulum, id est dea Arithmetica. Sic enim p. 296. 19 legendum est cum Koppio et codicibus β b R. Similiter

deia ficta sunt p. 221. 9 pro [illegible]eratio 40. 4. prathcorema. 210. 12 proruptio. 314. [illegible]
Similis librariorum error exstat in codicibus p. 332. 2 vapore β B R pro ,pavore'. 331. 17 ,iouis' β pro ,uocis', al.

p. 332. 27 *,superum pater licet insinuatione germanae ut properaret admonitus tamen nequid nuptialibus derogaret ornatibus aut tantae cruditionis examen deliciosa festinatione convelleret, qui probandarum numerus superesset nihil afferens festinationis exquirit.'* Vocabulum *,deliciosa'* ipsi sententiae tenori prorsus contrarium esse videtur; sed forsitan explicare liceat ,deliciosa festinatione' pro ,deliciarum causa festinans' id est Veneris et nuptiarum causa festinans. Quae explicatio si admitti nequit, vide ne scribendum sit *,perniciosa'*.

337. 15. *,flammea virgineum quae obnubere sueta pudorem*
regina demet Pronuba.'

Optime β pro *,demet'* exhibet *,deme'*. Sic enim hic versiculus recte respondet superiori *,crinale spicum pharetris deprome Cupido'*. Deinde suspicari non possum cur Eyssh. versu ultimo (24) pro *,feconda'* quod est in B (et β et editionibus) maluerit *,facunda'*. Cf. pag. 2. 11 ,cum inter deos fierent sacra coniugia, procreationis undique numerosae, liberique praeclues ac nepotum dulcium aetheria multitudo etc.' Eadem aetheria multitudo cur Mercurio et Philologiae denegaretur?

340. 4. *,tandem inter Phoebum Pallademque media Harmonia sublimis ingreditur. Cuius sonorum caput auri coruscantis bratteis comebatur.'* In his ineptissimum et manifestum mendum facile tolli potest. Pro *,sonorum caput'*, quae verborum coniunctio risum movet, scribendum est *,honorum caput'*. Nam pro *,cuius honorum'* exaratum erat in libris mss. *,cuius onorum'* (ut saepe in iis litera h fere nullo discrimine omittitur vel additur ante vocales) unde facile per dittographiam quam appellamus illud absurdum *,sonorum caput'* oriri potuit. Confer p. 21. 28 (Sol) ubi primus honorati capitis radios ingressurus immisit etc.'

341. 4. *,te nunc astrisono carmine Iuppiter . . . . . .*
praefandum veneror, quippe potissimus
nectis sceptrifero sub diademate
omnigenum genitor regna movens deum —'

Nominativus casus *,potissimus'* minus apte positus esse videtur, nam verba *,potissimus nectis'* quid significent vix dici potest. Accedit autem, quod verbum *,nectis'* objecto carere nequit. Itaque ni fallor casus accusativus *,potissimos'* reponendus est. Sensus enim hic est: ,te veneror, qui sub sceptro tuo vel potissimos nectis,' id est consocias. Vestigium nostrae quam commendamus emendationis apparet in margine Grotiano quo *,potissimo'* quosdam libros habere notatur.

345. 30 *,iam pridem quidem exosa terrigenas et fastidiosa mortalium caeli orbes stellantes inspicio, in quibus artis praecepta edissertare prohibitum.'* Pro *,inspicio'* quod verbum a loci tenore est alienum quia nullum est Harmoniae inspiciendi caeli orbes officium, in codicibus legitur *,incutio'*. Praestat igitur corrigere *,incurro'* ita ut tempus praesens usurpatum sit pro perfecto, ut saepissime fit apud Martianum.

350. 20. *,ex supra dictis sonis, qui et singulis et omnibus tropis rite conveniunt sunt symphoniae tres, quarum prima est διὰ τεσσάρων, quae Latine appellatur ex quattuor, et recipit sonos quattuor spatia tria productiones duas et dimidiam, nam prius tonum productionem vocavi.'* In postremis his verbis latere corruptelam e codicum lectionibus omnino turbatis satis elucet; *(nam prius tonum* Bambergensis 393. *nam sonum idẽ tonum* β b *nam sonum fiat id est tonum* R *nam sonum fiat ideo tonum* B*)* quare equidem neque codicis Bamb. 393 neque β et b emendatoris lectionibus neque vulgatae assentior, quia et pravae sunt et librariorum coniecturas sapere videntur. Sed verisimillimum est hic latere graecum vocabulum, quod Martianus' tam barbare vertit et inepte' ut Meibomii verbis utar; quare sic locum restituendum esse suspicor: *, ... dimidiam, nam ἐπίτασιν productionem vocavi.'* Confer p. 354. 3 ,productio autem est . . . . . hoc est ἐπίτασις' quo loco illud ,hoc est ἐπίτασις' additur sic ut iam supra haec interpretatio exhibita esset; posteriore hoc loco eadem verba vel glossematis speciem prae se ferunt.

p. 354. 18. *,enarmonios chromaticos itemque diatonus, quam extentam dicimus, indicia sunt generum modulandi. multiplex quippe tetrachordorum ratio sic firmatur.'* Ad ea verba adnotat Peters. l. l. p. 72 haec: ,pro firmatur scribendum est formatur. Nam chordae illae enharmonios, chromatice, diatonos tetrachordorum rationem reddunt multiplicem.*) Sed Peters. eundem errorem committit, quem supra Grotius atque eum secutus Eyssh. commiserunt, qui p. 194. 12 pro ,qui agalmata firmant' scripserunt ,qui agalmata formant'. Sed his duobus locis collatis nemo etiam dubitabit, quin ipse Martianus verbo ,firmare' simili prorsus sensu utatur ac verbo ,formare' qua de causa utroque loco codicum lectiones genuinae putandae sunt.

356. 16. *,hi* (soni) *alii sibi in vicem congruunt, alii discrepant et resultant. sed illi ὁμόφωνοι quia sibi in vicem coniunguntur, διάφωνοι autem id est dissentientes sunt qui cum percussi fuerint in vicem discrepant, ὁμόφωνοι qui vocis quidem aliam significationem gerunt, eundem tamen inpetum servant.,* In his ante vocabulum *διάφωνοι* haec fere excidisse patet: *,hi διάφωνοι dicuntur, quia non coniunguntur.,* Quam ad rem comprobandam certissima exstant vestigia. Primum enim vocabulo *,illi'* alterum vocabulum *,hi'* respondere necessarium est, quod quidem male desideratur. Item desideratur verbum aliquod nominandi. Idem deinde colligitur e sententia antecedente, qua apertis verbis discriminantur ,alii, qui sibi in vicem congruunt, alii qui discrepant' quod discrimen in subsequentibus pessime turbatur. Maxime vero suspitionem movet, quod quae sequuntur sententiae *,διάφωνοι* autem . . . . sunt qui discrepant, *ὁμόφωνοι* qui . . . . . . gerunt' optime inter se conveniunt. Sin autem illa verba *,διάφωνοι* autem . . . . . . sunt qui discrepant, priori enunciati parti ,illi *ὁμόφωνοι* quia sibi in vicem coniunguntur' annectuntur, totus sententiarum conexus divellitur. atque illud bis commemoratum *ὁμόφωνοι* secundo loco extra verborum contextum positum languidissimum est. Grave etiam lacunae indicium est lectio codicis *β*, qui exhibet: *,ΔΦΟΝΙ* vel autem'. Inserta enim coniunctio *,vel'* addita est a librario, qui lacunam animadvertit, sed postea explere oblitus est. Error denique inde natus esse videtur, quod librarius a priore vocabulo *,coniunguntur,* statim ad posterius aberravit. Lacuna igitur eum fere in modum, quem supra illustravi, expleta, omnia optime procedunt recteque et arte inter se cohaerent.

360. 19 *,tonus est spatii magnitudo, qui ideo tonus dictus, quia per hoc spatium ante omnes prima vox quae fuerit extenditur, hoc est de nota qualibet in notam, ut a media in paramesen, ut est in Lydio, si a iota directo in sigma iacens signa concurrant.'* Pro *,signa'* habent codices B R *,simma' β. ,sigma'*. Inde cognoscitur hoc vocabulum dittographia exortum omnino exterminandum esse, nam non *,signa'* corrigendum erat sed *,signum'*. Vocabulum *,signa'* subiecta sententiae pars esse nequit, constructio enim est: ,si concurritur' pro quo Martianus dicere mavult ,si concurrant'. Ceterum recte Koppius illum errorem *,in sigma iacens'* pro *,in Zeta'* quod Meibomius coniecit, ipsi Martiano artis musicae ignaro attribuit.

361. 11. Omnia ea, quae ad diiudicandam hanc emendationem conferre necessarium est, exscribere longum est. Postremum de quo agitur enunciatum hoc est: *,quod autem ex diversis coniunctum est, in acutiorem sonum et quintum excellentium profertur.'* Meibomius coniecit sribendum esse nulla codicum reverentia observata: *,coniunctum et quintum est et a nete separatarum in neten excellentium profertur.'* Sed omnia recte se habebunt, neque Meibomii coniectura opus erit transposita interpunctione. Post *,coniunctum est'* comma tollendum et post *,sonum'* ponendum est. Nam verba ,ex diversis' significant ea, quae aliis locis *,διεξευγμένα'* vel ,divisa' appellat Martianus atque verba ,acutiorem sonum' significant *ὑπερβόλαια* vel excellentia vel quae appellat versu 22 per divisonem,. Tum certe termini quinti tetrachordi desiderantur, sed eam socordiam ipsum Martianum artis musicae ignarum commisisse facile nobis persuademus; sed ne extremus quidem terminus desideratur, nam ,acutior' ille sonus est, quae appellatur p. 350. 14 *νήτη ὑπερβολαίων* id est ultima excellentium. Acutior enim dictum est pro ,acutissimus' solemni illo abutendi com-

---

*) Cf. Aristoxeni Harmonica ed P. Marquard. p. 66. 17. sqq. (ed. Meibom. 46 sqq.) ubi de hac re copiose disputatur.

positiva forma pro superlativa genere dicendi, de quo exposui in dissertatione pag. 24 ad lin. 20. Similiter ut ad quintum tetrachordum extremus tantum terminus designatur, infra versu 23. ad quintum pentachordum idem extremus solus terminus notatur.

p. 369. 12. *‚ille* (ionicus) *qui ex maiore procedit, constabit ex spondeo simplici et proceleusmatico‘.* Pro *‚et‘* quod Koppio obsecutus Eyssh. in verborum contextu recepit, codices B R praebent *‚vel‘*. In codice β mira exstat lectio *‚pro & uel‘* unde colligimus *‚vel‘* coniunctionem iam in vetustissimis exemplaribus scriptis exaratum fuisse, vix enim est, quod moneam vocabula *‚pro et‘* in archetypo vocabulo *‚vel‘* suprascripta fuisse. Et re vera *‚vel‘* coniunctio intacta relinquenda est, neque enim desunt exempla, e quibus cognoscimus Martianum neglegentissime saepius coniunctionibus disiunctivis pro copulativis usum esse. Confer p. 64. 31 ‚de iunctura, de fastigio [aut] de longitudinibus. (ubi nullo iure Hercherus coniunctionem delevit) 280. 22 ‚nam et quattuor atque octo duplicatione metimur . . . . et idem facere in sex aut decem facile est! 284. 5 si eosdem tres vel quattuor sumpserimus (cf. versu 1 sint tres et quattuor) 299. 6 Cupido vel Satyrus dissiliunt. 354. 2. faciunt intentio vel remissio, patiuntur acumen et gravitas. 356. 6 stantes autem perseverantesque dicuntur vel *ἄπυκνοι* vel *βαρύπυκνοι*. 362. 18. melos autem est actus acuti aut gravioris soni. 363. 4 tropis ut Dorio Lydio vel ceteris. 367. 23 per genus, cum diplasium aut hemiolium simul iungimus! 373. 21 *χρῆσις* id est usus, per quem positiones aut elationes decenter aptamus. 266. 12 quadratus, qui est superficies et in longitudinem latitudinemve dividitur. Cf. etiam supra in emendationibus ad 56. 1.

372. 12. *‚prius‘* (ex speciebus dochmiacis) *hac lege conponitur ut sit ex iambo et paeone, qui διάγυιος vocatur. hunc διάγυιον posteriores Graeci creticum nominarunt.‘* Vocabulum ineptissimum *‚Graeci‘* exterminandum esse ex ipsis libris manuscriptis facile perspicitur. Legitur enim pro *‚Graeci creticum‘* in B R. *‚graeci cum‘* in b *‚creticum‘* in β *‚creticum cognominarunt‘*, quam lectionem ut aptissimam probamus.

374. 9.

‚habes senilem Martiane fabulam,
miscilla lusit quam lucernis flamine
Satyra, Pelasgos dum docere nititur
artes creagris vix amicas Atticis.‘

Vocabulum *‚creagris‘* quod Koppius ut vulgatam lectionem defendere studet obscurissimum et insulsissimum est. Pro eo coniecerunt *‚diacriis‘* Meursius *‚theatris‘* Heinsius (in Burmanni Ovid. 1. pag. 90). Sed vide ne praestet scribere *‚Oeagriis‘* ut sensus sit: vix Orphicis quidem Atticis amicae sunt artes, quanto minus Pelasgis vel Romanis? Martianus enim Orphicam doctrinam in summo habet honore.

Restat, ut quod me [illegible] esse supra promisi iam exsequar. Specimen igitur novae editionis exhibiturus diu quam operis partem eligerem mecum considerabam. Maxime enim mea interfuit, ut id specimen tale esset, qualis tota emittenda nova editio esse deberet. Sed quia mihi persuasi nos ne tribus quidem codicibus quamvis optimis collatis acquiescere posse de quarto etiam libro manuscripto conferendo cogitavi. Codicem Bernensem 331 (γ) adscire nolui, tum quia mutilus est, tum vero quia omnino ea in re, ut in dissertatione mea pag. 7 sq. demonstravi operam perderem.*) At extat accuratissima quarti codicis vetustissimi et optimae notae collatio apud Carolum Halmium in editione rhetorum latinorum minorum. Halmius enim ad quintum Martiani Capellae librum ‚de Rhetorica' edendum codice Monacensi 14729 usus est, de quo iam breviter verba faciam. Ipse enim eo tempore quo Monachii versatus sum codices Monacenses Martiani Capellae opus continentes inspexi. Atque ex iis (sex tantum vidi) maxime notandus mihi videbatur codex Monacensis (St. Emmeramus G. CXIII.) nunc numero 14729 insignitus saeculo X exaratus a Koppio litera C notatus. Ipse duas minoris ambitus partes ex eo exscripsi (p. 36. 17 — 37. 24 et p. 374. 9—375. 11), priorem partem (p. 36. 17—37. 24) praeterea etiam cum Monacensi 4559 vetustissimo et peregregio, sed priores duos tantum Martiani libros continente contuli. Ut inde iam cognoveram magnae hunc codicem esse auctoritatis sic e Halmii collatione colligi potuit, neque minus attentum Koppianae editionis lectorem praeterire potuit. Koppius enim ubique codice Monacensi C (14729) maximo cum fructu usus est, et ipse Eyssenhardtius eum nominat pag. 129. 15. 136. 8. 347. 21 al. Itaque ad novam editionem conficiendam si necesse erit ut quartus codex conferatur, maxime idoneus ille Monacensis 14729 esse videtur, quare ego quinti libri aptam eligere partem constitui qua quattuor optimorum codicum varias lectiones (et praeterea fragmenti φ) proferre et examinare possem. In insequentibus significant:

β = codex Bernensis 56b. saec. IX vel X.
E = codex Monacensis lat. n. 14729. saec. X. (St. Emmeramus)
B = codex Bambergensis saec. X.
R = codex Reichenauensis saec. XI.
D = codex Darmstattensis saec. XI.
φ = fragmentum Bernense saec. X.
$\mathfrak{s}$ = ed. vulgata.

Codicis D lectionum diversitatem ibi tantum adnotamus, ubi codice R deficimur. In orthographia, quam appellamus, maxime sequor codicis β scripturam. Eyssenhardtium, cuius scribendi ratio repudianda est, imitari nolui. Eius enim in scribendis vocabulis oscitantia maxime est improbanda. Confer, ut exempla afferam p. 8. 23. dextra. 13. 1. dextera. p. 52. 11 exurgens 52. 18 exsurgit p. 58. 1 litera 58. 32 littera 68. 29 secuntur 68. 30 sequenti 210. 13 Lybiam 229. 12 Libya 230. 4 elefanti 241. 4 elephanti 227. 4 Bosporus 238. 7 Bosphorus 237. 8 Mygdonia 238. 2 Micdonia 317. 15 circumeunt 320. 15 circuit 324. 20 ex contrario 325. 16 e contrario 348. 11 allici 348. 13 adlici.

---

*) Praeterea autem asservantur quaedam etiam fragmenta ad Martianum Capellam pertinentes in bibliotheca Bernensi uno quidem folio conscripta, quod olim a Carolo Halmio in codice 47 inventum fuerat. Exstant enim in codice 91 A duo quinti libri ‚de Rhetorica' fragmenta, alterum inde a p. 148. 25 ‚*faciendum*' usque ad 151. 21 ‚*facti*'; alterum fragmentum inde a p. 168. 25 ‚*ut si dicas*' usque ad 172. 9 ‚*de utera iambum laudat*'. Folium hoc e codice saeculo X exarato servatum esse videtur. Deinde in codice Bernensi 265 inde a folio 40 b usque ad f. 47. b Martiani Capellae liber IV (de arte Dialectica) conscriptus est cum scholiis aliquot sino titulo. Sed et huius libri fructus minimus est. Tamen quia paragraphos Koppianas 512—518 edendas elegi et eae quidem exaratae leguntur in folio illo e codice saeculi X servato etiam eius fragmenti varias lectiones adscribere non praetermittam, quamvis earum auctoritas omnino nulla sit. Fragmenti lectiones litera φ notavi, ita ut ad eam partem quam infra exhibeo quinque codicum variae lectiones comparari possint.

In editione nova [illegible] formam maxime [illegible] hunc fere in modum in certorum quorundam capitum numerum digerere, [illegible] Halmius [illegible] Martiani librum ,de Rhetorica' a se in rhet. lat. min. opere receptum digessit. Qui eum librum in quinquaginta quattuor capita ad verborum contextus sensum apte accommodata distribuit, ita ut si eam partiendi operis rationem adhiberemus certam tandem et firmam citandi normam consequeremur. Ea enim capita in singulos versus dispertienda essent, qui sua sponte in diversis alioquin editionibus secum convenirent. Koppianae autem paragraphi parum ad usum accomodatae sunt, tum quia saepe nullo modo ad verborum contextorum sensum adoptatae esse videntur, tum vero quia plane ex libidine factae sunt; continent enim eae paragraphi modo unum versum modo quinquaginta, ut ad citanda singula verba omnino non adhiberi possent. Ad eam rem melius illustrandam ipse hanc partiendi rationem, retento scilicet Halmii capitum numero, in insequentibus adhibeo:

caput 32. ,Huic diligentiae subiungitur TRANSLATORVM cura VERBORVM cum res aut sua non invenit uerba aut cum uolumus splendidius aliquid explicari. ergo aut inopiae aut decoris causa transferuntur: inopiae cum dicimus ,gemmare uitem' et ,luxuriare segetes' laetasque perhibemus. desunt enim propria et commodantur adscita. decoris uero ut ,bellum subito exarsit'. cum potuerit dici ,extitit'. et item possumus ab omnibus sensibus mutuari ut ab oculis ,luce libertatis et odore legum' et ab auribus:*) ,silent leges inter arma' et a gustu ,o nomen dulce libertatis'. uerum non debet haec translatorum alienorumque uerborum adfectatio sine moderatione captari. nec longe petita debent esse translata ut si dicas ,luxuriosam Charybdim'. uitandum quoque ne turpis sit similitudinis usurpatio, ut si dicas ,castratam Africani morte rem publicam' aut ,Clodium stercus senatus'. in hoc genere trausferendi etiam allegoriam poetae praecipue nexuerunt. et Cicero cum dicit: ,cum senatum a gubernaculis deiecisses, populum Romanum e navi exturbasses, ipse archipirata cum grege praedonum impurissimorum plenissimis uelis nauigares'. et in Pisonem ,ut qui in maximis tempestatibus ac fluctibus rei publicae nauem gubernassem saluamque in portu collocassem, frontis tuae nubeculam et collegae tui contaminatum spiritum pertimescerem?' usurpatis ergo his similiter pluribus uerbis elocutus est, quae suis fortasse angustius aut humilius diceret. item translata quodam modo sunt, quae aut ex parte totum aut ex toto partem aut ex uno plures monstrant aut ex pluribus singula. ex parte totum ut ,in puppim ferit' aut ,me isdem parietibus tuto esse tecum' § 512

13. Cic. Verr. V. § 160. ‖ 14. p. Mil. § 10. ‖ 15. Verr. V. § 163. ‖ 22. ex Cic. de Orat. III § 164.

5. uel inopiae uel decoris E. ‖ 6. transferuntur β E b transferre B R (fortasse ex ,transferimus' adn. Halmius) ‖ 7. luxuriae β_1 ‖ 9. commodantur β_2 E ς ,commoditati sunt' Halmius. commodatius B (sed ,a' ead. m. in ,i' corr.) commodatus R (,commodantus' corr.) quid in β_1 scriptum fuerit discernere non possum. associata b. ‖ 12. ex omnibus E. ‖ 13. odor β E B R lux libertatis et odor ς. ‖ 14. supra ,leges' add. β_2 ,ab auribus'. ‖ 15. ,o' in B erasum. ‖ dulcia ς. 20. luxoriosum B_1 luxuriosum E. ‖ 22. castra tam ϕ. ‖ affricani β.

*) lectio cod. β_2 genuina est procul dubio. Halmius coniecit: ,et ab ore: silent leges inter arma' parum apte. Cf. rhet. lat. min. in addendis et corrigendis p. 620.

26. Cic. de domo s. § 24. ‖ 31. § 20. ‖ 43. Verg. Aen. I. 115. ‖ 44. Cic. Cat. I. § 19.

23. claudium E ϕ. ‖ ,esse' post ,stercus' add. ϕ. ‖ 25. alligoriam β_1 26. et β_1 B D ut β_2 E ϕ b ‖ cum senatum E senatum β B D ϕ ς (nisi ,dicit' glossema est et sic scribendum: ,et Cicero: cum senatum' Halmius) ,dicit' circumsaepsit Eyssh. ‖ 29. arcipirata B_1. ‖ 30. impurissimorum β ς impurissimo Halmius impurissimum E B D inpunissimum ϕ impurissimus b. ‖ nauigassea ϕ. ‖ 31. quibus maximis E ,in' ante ,maximis' om. β. ‖ 34. nebetulam E. ‖ 37. his similiter β ς, haec similiter B E D ϕ et Halmius, his similibus b, haec simul Eyssenhardtius. ‖ 38. suis propriis D. ‖ angustius B_1. ‖ 43. pūpim β. ‖ fecerit ϕ. ‖ 44. eisdem E, in isdem β, hisdem B R ϕ. ‖ toto B_1 R, tutu m ϕ.

[illegible] nymian grammatici memorarunt, catachresin etiam Graeci, quam nos abusionem dicimus ut cum perhibemus ,naturam deorum' pro ,substantia.' in con- § 513 iunctis uero uerbis orationisque contextu seruanda sunt haec ut constructio coagmentata et conclusio perfecta proueniat et quodam schemate dictio uenustetur.

caput 33. Iam COMPOSITIONIS prae- § 514 cepta percurram, cuius uitium maximum est hiulcas et asperas, [frenos etiam] *dysprophora* homoeoprophora polysigma iotacismos labdacismos et mytacismos non uitare uel cuiuslibet litterae assiduitatem in odium repetitam ut ,sale saxa sonabant' et ,casus Cassandra canebat'.

MYTACISMVS est cum uerborum coniunctio M litterae assiduitate colliditur ut si dicas ,mammam ipsam amo quasi meam animam'. LABDACISMVS ubi L plurimum dissonat ut si dicas: ,sol et luna luce lucent alba leni lactea.' IOTACISMVS ut si dicas: ,Iunio Iuno Iouis iure irascitur.' POLYSIGMA ubi S littera crebrius geminatur ,Sosia in [illegible] suas/ [illegible]

PROPHORON est cum dicitur:

o Tite tute Tati tibi tanta tyranne tulisti.

DYSPROPHORON ut si quis dicat ,persuasitrices praestigiatrices atque inductrices [triges]'. ASPERAE inter paen- § 515 ultimum ultimumque uerbum maxime uitandae, cuius exemplum est, si dicas: ,phaleras ablatas gratis', aut si iuret auriga ,per lora, per flagella, per frena'. HIVLCAE sunt cum in ea parte, quam § 516 diximus, similes uocales ac similiter longae conlisam hiantemque structuram faciunt, ut si quis dicat, ,suscepisse se liberos secundo omine', et ut Tullius pro Milone ait' auctoritate publica armare.' quod quidem artem dissimulans plerumque appetit uoluntate.

caput 34. Vitandum similiter ne in § 517 eodem loco tres aut quattuor longas breuesque continue ponamus neue in notissimos uersus et maxime heroicos structura fundatur iambicosue uersus, quamuis eos Cicero non euitet cum dicit: ,senatus haec intellegit consul uidet' et heroici uersus finem uel initium non declinet, cum dicit ,o miserum cui peccare licebat' et in Academicis ,latent ista omnia, Varro, magnis obscurata et circumfusa tenebris' et in

45. ex Cic. Orat. § 93 sq. || 8. Verg. Aen. V. 866. Verg. Aen. III. 183.

45. ,hunc tropum metonymian grammatici memorarunt' om ϕ. || metonymiam E R ς. | 46. memorant E, nominarunt R. || 48. ut est b. || 49. deorum naturam E. 50. contexu β. || 52. coaug|mentata β, coaugmentata ϕ 53. scemate ϕ. || 3. iulcas ϕ. || ,frenos etiam' delevi, deinde verborum ordinem commutavi (cf. supra ad hunc locum) in codd. legitur sic: ,frenos etiam, iotacismos mytacismos labdacismos homoeoprophora et polysigma.' || 4. ,dysprophora' inserit Halmius, sed post ,homoeoprophora' (dyspropheron p. ed. princ.) nos post ,asperas' loco deleti ,frenos etiam'. || 4. omoeoprofora B_1 R_1 E, omoeoprofoera β, omoeoproforan b omo eo proferan ϕ. || 5. polisimia ϕ, polisigma β E, polysigmia B R (fort. ,polysigmata' Halmius). || roitacismos ϕ. || 6. moetacismos β B E R, mortacismos ϕ, metacismos ς. || 8. cassus β. || 9. casandra B_1 E ϕ. || 10. mo&acismus β B E, moetacismos R, mortacismus ϕ. || 11. M omittunt β_1 B_1. || 12. mamma ϕ. | in ipsã ϕ ||. amo b, ama β B E R, amã ϕ. || 13. labdacissmus β, labdacismus est E ϕ ς. || 14. L omittit ϕ. | sonat E. | 16. iotacismus est E ϕ. || Iuno om. β. | 17. ioui b. || polysigmia β B, pilosigmia E, polsigmia ϕ. || 18. geminatur ut D E ϕ b. | sosia B corr. ex ,socia'.

21. Ennii Ann. v. 113 Vahl. || 27. Cic. Verr. IV. § 29 || 34. § 2 7. Catil. I § 2 || 11. Acad. II. § 122.

19. solaria β. | OMOEPROFERON β, homoeoproforon (omoe. b) E b, omoeaproferon B, omoeoproferon R, Omo eo proferonem ϕ. || 21. tati om. B_1. | 22. disproforon E R b, disproferon β B ϕ, est add. ϕ. | 23. praestrigiatrices b, prestrigia p̃strigiatrices ϕ | 24. triges B ϕ, tigres β R b ς, tygres E, strigae Halmius, dittographia ortum voc. delevi. || 25. ultimum om. ϕ. | uerborum R_1 ϕ ς. | mamam β_1. | 27. adlatas E. | dicas iuret ϕ. | 29. eadem ϕ. | 31. collisã ϕ. || 32. faciant β B R ς, faciunt E b. || 33. secundo om. E. | omine β b, homine B E R ϕ | 35. dissimilans ϕ. | 36. uoluptate B_1. || 2. or ϕ. | 4. maxime in b. | 5. ,iambicosue uersus' scripsi, inter iambicosue uersus b, Inter iambi$^{ue}_{cos}$ uersus β, inter iambicos uersus ϕ, iambicosque uersus D E ς, iambico *** uersus B. | 6. nonn β. | uitet ϕ. | 7. verba: ,senatus haec intellegit consul uidet' et heroici uersus finem uel initium non declinet cum dicit' om β, add. β_2 in margine. | intelligit β_2 ϕ | 9. non declinet uel initium β_2. | 10. licebit ϕ. || achademicis ϕ. | 11. lucent ϕ. | magis β B E D ϕ.

Verrinis plenum uersum, ne una quidem syllaba mutilum, fuderit, cum dicit: ,cum loquerer tanti fletus gemitusque fiebant.' nec finem uitauit elegiaci, si ait: ,oderat ille bonos.' incurrit etiam in hendecasyllabi phalaecii petulantiam, dum dicit: ,successit tibi Lucius Metellus.' hic tamen uir et longo opere et ipsa sui maiestate defenditur. ceterum in clausulis uitiosissimum reperitur. animaduertendum autem ne cum similitudinem uersus effugimus bonam clausulam transeamus, ut si timeas dicere ,strepitumque plagarum' cum ,pla' longa sit et bonam clausulam fecerit.

Vitandum etiam [in eodem loco] cacen[illegible]n uel interpositione uel commutatione uerborum. inhonesta enim exempla sunt, ut ,arrige aures Pamphile' ut est ,atque ereptae uirginis ira'. in his enim sordescit oratio. uitandi etiam freni qui fiunt ex asperrimis litteris in unum concurrentibus, ut est Terentii in Hecyra: §518

,per pol quam paucos reperias meretricibus .
fidelis euenire amatores Syra.'

et ab isdem litteris incipientia, ut est: ,non fuit istud iudicium iudicii simile iudices.' et in eadem desinentia, ut ,fortissimorum proximorum fidelissimorumque sociorum' in eodem uitio habentur. item penitus fugiendum breues syllabas continuare quam plures, ut est illud Sereni:

,perit abit auipedis animula leporis.'

---

15. Verr. IV. § 110. ‖ 19. Cic. Verr. III. § 43. 26. Verr. V. 162.

13. ,ne' addidit Christius. ‖ 14. syllabā utillum B. ‖ fuerit β_1. ‖ 16. ,si ait' scripsi, (nam lectio ,sicut ait' exorta est e cod. ϕ lectione: ,si cut ait' id est per dittographiam), aelegii sicut ait β_1 aelegiaci sicut ait β_2 elegi sicut ait BD (sed ,ait *' B) elegii si ait ait ϕ, elegiaci cum dicit E (fort. ,elegiaci cum ait' Halmius). ‖ 18. endecasyllabi B E D ϕ, end&afyllabi β. ‖ falleucii B, phaleutii β ϕ, phalencii E, phaletii D. ‖ 19. cum dicit E. ‖ m&ullius β. ‖ 21. magestate B_1 ‖ 22. repperitur ϕ. ‖ 23. ,autem' om. ϕ. ‖ 26. ,que' om. B_1. ‖ 27. clausuram ϕ. ‖ 28. in eodem loco $\beta\phi$ ς eodem loco B E R delevit Eyssh. (locus commutatus est ad similitudinem superioris loci cap. 34. 1.) cacenfaton β B ϕ, acenfaton E, cacenfatem R.

31. Ter. Andr. V. 4. 31. ‖ 32. Verg. Aen. II. 413. ‖ 37. Ter. Hec. I. 1. 1. ‖ 41. Cic. p. Cluent. § 96.

31. pamphyle R. ‖ 34. freniq; fiunt B_1. ‖ 35. fort. ,ut et' Halmius. ‖ terrentii β ϕ. ‖ 36. haecyra β B, haecira R, echira E hechira ϕ. ‖ 37. repperias β R, repperies E ϕ. ‖ 39. fideles E ϕ b ς. ‖ sira ϕ. ‖ 40. eisdem E, hisdem β B R. ‖ istum B_1 R_1. ‖ 42. immo ,in easdem' Halmius. ‖ dissinentia β_1. ‖ 48. ,perit abit auipedis' I. C. Scaliger (poët. II. 39), perit auita uipedis (vel ,ui pedis') β B R, perita uitaui pedes E, Perita-uitaui pedis ϕ.